5. 6. 121

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# LUDOVICI LAZZARELLI SEPTEMPEDANI POETÆ LAUREATI

## BOMBYX

*ACCESSERUNT IPSIUS ALIORUMQUE POETARUM CARMINA*

CUM COMMENTARIIS DE VITIS EORUMDEM

JOANNE FRANCISCO LANCILLOTTIO

A STAPHYLO AUCTORE

*Ad Clariſſimum Virum*

POMPEJUM COMPAGNONIUM

MACERATENSEM

AUXIMATUM ET CINGULANORUM PONTIFICEM.

ÆSII MDCCLXV.

APUD PETRUM PAULUM BONELLI.

*SUPERIORUM PERMISSU.*

Digitized by Google

# POMPEJO COMPAGNONIO

## Auximatum & Cingulanorum Pontifici.

### J. FRANCISCUS LANCILLOTTIUS S. P.

*INcrebuit ſane quidem conſuetudo ; POMPEI Antiſtes ornatiſſime , atque litteratiſſime, ut iis , quibus devincti ſumus, vel de quibus optime ſentimus , ſcripta noſtra, vel noſtratium dicata eſſe cupiamus. Hinc eſt , quod ego , qui plurimi Te facio , & ſimul tantum tibi debeo quam qui maxi-*



Digitized by Google

*maxime, a ſententia deduci non potui, quin tibi nuncuparem hæc Lazzarellii, aliorumque illuſtrium Poetarum carmina una cum Monumentis eorundem Virorum a me undecunque conquiſitis. Erit fortaſſe, qui probro mihi vertat, quod tam parvum libellum Viro maximo inſcribam, quaſi facilitate tua nimis abutar; Verumtamen Tu, qui ingenui animi es, & politiſſimus omni liberali doctrina, hanc obſequentis animi mei etſi tenuem ſignificationem non dedignaberis. Monumenta, quæ de Lazzarellio, aliiſque Poetis nunc profero, ſunt tanquam Specimen illius Hiſtoriæ litterariæ, ſeu Bibliothecæ Picenæ, ad quam Te hortante, imo impellente, manus admovi. Sicuti ergo hujus hiſtoriæ condendæ Auctor fuiſti, ita & Patronus eſto. Omnino, neque amplitudine tua, neque iis officiis, quæ in me contuliſti, digna res videtur; ſed, ut ſpero, munuſculi mei tenuitatem humanitatis tuæ magnitudo ſublevabit. Vale,* POMPEI *litteratiſſime, dulce decus, & præſidium Muſarum: vale, iterumque vale.*

LUDO-

# L U D O V I C I
## LAZZARELLI VITA.

LUDOVICUS ex præclara gente Lazzarellia in Urbe Septempedæ, vulgo Sanſeverino in Piceno, Anno MCDL menſe Auguſti, ortus eſt Patre Alexandro Phyſico eruditiſſimo, & Laurentia Matre ex nobili Toſtorum Familia, Camplo in Regione Aprutina oriunda. Perperam Getſnerus eum Zazzarellum appellat (a), & ita nonnulli Lazzarinum (b), alii Lazzarenum (c). Gens Lazzarellia inter ditiores, & nobiliores Septempedæ diu floruit, & hodiedum ſuperſtes eſt Anna Lazzarellia Uxor Comitis Pomponii Lavinii Familiæ poſtrema.

Hæc Eugubio antiquis temporibus, ob partium ſtudia (d) male ſequuta, dum Guelphorum, & Gibelli-



(a) Getſn. Bibl. Univ. edit. Tiguri 1545. in fol. pag. 488. = *Ludovici Zazzarelli Bombix carmine deſcriptus opinor, & impreſſus nuper Baſilex* = [b] Index Vatican. Codicum Urbinat. num. 717. *Ludovici Lazzarini Poetæ Laureati &c.* (c) Index Vat: Codic. Urbin. 716. *Ludovici Lazzareni Poetæ Laureati de Gentilium Deorum imaginibus* (d) Idem Lazzarel. in Lib. Faſt. Sacr.

*Eugubium Generi primordia fecit Avito*
*Depulit at Proavos factio dira meos.*
*Suſcepit quondam profugos Settempeda, noſtra*
*Suſpenſa eſt nec adhuc Anchora rapta Rati.*

bellinorum inteſtinum bellum ad internecionem uſque exarderet, Paternis Laribus expulſa, ad Urbem Septempedanam antiquum tranſtulit domicilium: unde non toto cœlo a veritate aberrant ii, qui Ludovicum inter clariſſimos Eugubinos cum Tondio (a) Armannio (b) Jacobillio (c), cæteriſque recenſent, etjamſi juremerito Septempedanus dici debeat, prout ipſe vivens ſeſe talem nuncupari gloriabatur (d), & talem coevi Scriptores omnes eum appellavere [e]. Cum adhuc is inter ephebos verſaretur, obiit Alexander ejus Pater, ex quo factum eſt, ut Laurentia Mater ad Oppidum Campli ſe contulerit una cum Filio, qui penes avunculos diverſatus, ibidem ſub

[a] Tondi Eſemplare della gloria p. 148. *Lodovico Lazzarelli fu Uomo ingenioſiſſimo, fiorì in varia letteratura l'anno* 1470. (b) Armanni Vincenzo Lettere Tom. 1. pag. 721. = *Lodovico Lazzarelli* 1470. = & in Libro Memorie di Gubbio MSS. in 4. lib. v. = *Ludovicus Lazzarellius Eugubio Oriundus fu Poeta latino molto celebre* = (c) Jacobil. Biblioth. Umbr. pag. 184. *Ludovicus Lazzarellius Poeta latinus celeber ſub Ferdinando Aragonia Rege, & Friderico Urbini Duce, quibus dedicavit Poemata de Faſtis Chriſtianæ Religionis, cujus Originale extat in Vaticana Biblioth.* (d) Lazzarel. Faſtor. lib. xvi.

*Me dulcis fateor genuit Septempeda tellus,*
*Ardua ſed Campli lac mihi terra dedit.*

[e] Lauren. Lippus.

*Protulit ingentem tenuit Septempeda Vatem, &c.*

Fabricius Varanus Epiſcop. Camers.

*Quos dedit ille meus Vates Septempeda Cive, &c.*

Macharius Mutius Camers.

*Clara novis Cœlo properat Septempeda Faſtis*

Joannes Albinus Lucanus.

*Sulmo docta ſile celebrat Septempeda Faſtos*

Angelus Callimacus.

*Quis Lazzarellum ſileat Sepsempeda doctum*
*Quem genuit Picena Virum &c.*

ſub Chriſtophori a Montone diſciplinæ multum in litteris, & præſertim in poeſi proceſſit. Eligio Callentio pariter operam dedit; deinde Franciſci Colotii Regis a cognitionibus, & in Aprutina Provincia Præfecti ſeſe fidei permiſit (a), & Angelo Colotio Franciſci Nepoti carmen de Bombyce inſcripſit. Diu pariter apud Matthæum Capuanum Ducem Adriæ deſignatum commoratus eſt, ut Bernardinum Matthæi filium ad litteras inſtitueret (b). Digreſſo Matthæo ab Urbe Adriæ, unde Eum Ferdinandus accerſiverat, Lazzarellius penes Joannem Antonium Campanum Epiſcopum Interamnatem, eximiumque poetam ſeſe recepit, ut ejuſdem Campani fratrem amænioribus artibus inficeret, ſimulque ut ipſe Viri familiaritate doctior fieret. Una cum Campano biennio degens, plurima ex illius facundia, & officina hauſit. Græcis, & Hæbraicis litteris, non minus ac Matheſi, & Aſtrologiæ ſtuduit; imo hujuſmodi ſcientiis ita pollebat, ut cum Vitale Hæbreo Aſtrologo, & Phyſico Ejus ævi litteratiſſimo, in Urbe Interamnæ non ſolum publice de Trinitate diſſerere non recuſaverit, verum etiam Hæbreorum ſententiis, doctriniſque Thalmudicis ſolummodo uſus, ipſum, ad fatendam Dei Trinitatem, denegantem



[a] Lucius Callentius in Epiſt. dedicat. Carminum Eligii Patris editorum Romæ per Joannem de Beſiken 1503. in fol. = *Verum tuis adhortationibus impulſus ad te venit Eliſius. Nuper enim audierat* L. SEPTEMPEDANUM *ſuum, Poetam tuum ſeſe ſub tuo præſidio collocaſſe*

[b] An hic intelligendus ſit Matthæus Acquaviva Adriæ, & Interamnæ Dux non ſatis conſtat; nam Matthæus Acquaviva alter, habetur Patruus, & non Pater Joannis Bernardini Acquavivæ.

rem compulerit. Argumenta in medium a Lazzarellio propoſita, habebis in vita, quam de Ludovico Philippus ejus Germanus frater exaravit. Ab Urbe Interamnæ Venetias conceſſit, quo doctior, & latine, & græce evaderet ſub Georgii Merulæ Alexandrini diſciplina, quod factum eſt non ſine ſui nominis fama. Hæc de die in diem percrebuit, ut Principes Reipublicæ Viri eum ſummo loco haberent, & valde probarent; Sed cum per id temporis Imperator Fridericus III. commeaſſet ad Italiam, Romam voti cauſa profecturus, Ludovicus jam Venetiis digreſſus, ad Oppidum Sacelli in Agro Fori Julii contendit, ubi Hieronymus alter ejus germanus frater medicinam faciebat, proceſſitque deinde in Oppidum, quod Portus Naonis dicitur, Imperatorem viſendi gratia. Apud Imperatorem tunc temporis jam verſabantur Veneti Oratores Franciſcus Juſtinianius, & Petrus Molinius, qui cum Lazzarellium magni facerent, eum manu capientes, Imperatori obtulerunt, quo coram Ludovicus heroicum carmen recitavit, cujus initium ſequens eſt

*Expectata dies nobis nunc ecce refulſit*

*Incumbo ante pedes, Majeſtatemque verendam &c.*

Placuit carmen Friderico, qui ſponte ſua in Oppido Portus Naonis ad Divi Marci, Poetam Lazzarellium ſerto laureo ſolemni ritu ornavit; Joannes vero Rothius vir clariſſimus, olim Laurentii Vallæ Auditor; tunc Imperatoris ab Epiſtolis, habuit ex tempore orationem de laudibus poeſis, & Ludovicum laurea præcinctum, ſatis ornate commenda-

vit

vit. Gilaſcus Dodonejus [a], ſeu verius Pater Marianus Ruelejus mendoſe Lazzarellio orationem hanc tribuit. De die coronationis ſuæ, certiores nos facit præter Joannem Marangonium (b) Lazzarellius metipſe [c], & evenit pridie Kalendas Decembrias B. Andreæ Apoſtolo ſacra. Ruelejus addit id factum anno 1469. Poſt lauream ſuſceptam Venetias Ludovicus remeavit, ubi Patritiis præſertim Viris diu cariſſimus vixit. Tandem a Julio Cæſare Camertium Duce accerſitus, in ejus Aula commoratus eſt, ut Fabritium Varanium Nepotem, tunc Prothonotarium, poſtea vero Epiſcopum Camertium, litteras edoceret. An Fabricius de tanto Præceptore, vel Præceptor de tanto Auditore plus unde glorientur, habeant, incompertum eſt; nam Fabricius fuit & Vir maximus, & plura edidit litteraria monumenta per totum Orbem commendata.

cha-

(a) P. Ruele Giunte alla Bibl. Vol. del Cinelli Scanz. 23. p. 125. *Fu coronato Poeta dall' Imperadore Federigo Terzo, ed eſtemporaneamente dopo laureato recitò un Orazione de laudibus Poeſis, & de dignitate Poetica.* (b) Giovanni Marangoni delle coſe Gentilesche, e Profane in Roma per il Pagliarini 1744. Cap. 33. pag. 129. *Anche Lodovico Lazzarelli di Sanſeverino, che fiorì nel XV. Secolo fu coronato di Laurea, come Principe de' Poeti della ſua età per mano di Federigo Terzo Imperadore ai 30. di Novembre, come può vederſi nella Continuazione di Dionigi Andrea Sancaſſani alla Bibliot. Volante di Gio. Cinelli Calvoli Scanzia* XII. *alla pag.* 128. (c) Lazzarel. Faſt. Sacr. Lib. XII.

*Hæc lux ante alias luces mihi clarior Anni*
*Nulla poteſt unquam gratior eſſe dies &c. &c.*
*Hac luce intextam lauri de fronde Coronam*
*Impoſuit capiti Cæſaris alma manus,*
*Et dixit paſſim tua concine carmina ſilens*
*Te Vatem appellent Sæcla futura Sacrum.*

chariſſimus Duci Varanio, cæteriſque erat Lazzarellius non ſolum ob ſuam doctrinam, verum & propter ornatiſſimos mores, quorum talis, tantaque probitas fuit, ut multa præter naturæ ordinem per Eum fuerit Deus ipſe operatus. Signo Crucis Spiritus immundos, alioſque morbos, pluries ejecit, futura vaticinatus eſt: unde perverſi homines Virum Sanctiſſimum, magicis artibus inſtructum, ſuſpicati ſunt. Attamen nebulonum cantilenas ipſe aſpernatus, tamquam ſacer Vates, & Deum, & Sanctos magno honore proſecutus eſt, quod clarius eluceſcit ex Libro Faſtorum Sacrorum, cui manum Lazzarellius admovit in Oppido Prolaquei vulgo Pioraco, poſteaque Romæ perfecit, quo (ſi fides Auguſtinio) (a) ſe contulit, ut Laurentio Zanio Patriarchæ Antiocheno aſſentaretur. Ab Urbe in Patriam reverſus, Hieronymo germano fratri Ægrotanti opitulaturus, noctu in ſomnis ſibi videre viſus eſt frater excelſum montem conſcendens, quem ipſe feſtinato inſequebatur. Non ſomnium, ſed rem eſſe putans, confeſtim ſarcinas colligere, nempe ſuam expiare conſcientiam, Sanctiſque exercitationibus æternum iter alta mente verſare cœpit. Factum hinc eſt, ut Hieronymus frater ægrotans obierit XVI. Kal.

[a] Giovanni degli Agoſtini Iſtoria de' Scrittori Veneziani Tom. I. pag. 188. = *Incoutrò come ſcrive il P. Maeſtro Mariano Ruele ſtrettiſſima famigliarità, ed amicizia con Lorenzo Zane Nobile Veneto Patriarca d' Antiochia, Uomo aſſai dotto, ed erudito, ſpecialmente peritiſſimo Aſtrologo, che era di paſſaggio verſo Roma, il quale avendo conoſciuto il diſtinto merito del Lazzarelli, gli preſe af-*

Kal. Julii, Ludovicus vero ix. Kal. ejuſdem Menſis, ex morbo, quem Pleuritidem vocant; Quapropter Vir clariſſimus quatriduano morbo conſumptus, mortem tamquam laborum finem contemplatus, in Domino ſuam dulciſſime efflavit Animam ix. Kal. Julii Anno MD. Ætatis ſuæ quadrageſimo nono, Menſe decimo in pervigilio Divi Joannis Baptiſtæ, quem præcipue excoluerat; Oſſa vero in Urbe Septempedæ ad Divi Laurentii in Avorum Sepulcro quieſcunt. Quæ de Poeta noſtro hic habes, ut plurimum excerpſi ex illius Vita MS. exarata per Philippum germanum fratrem, ab erudito Viro Comite Pomponio Lavinio in Codice cartaceo MS. in 4. aſſervata, & mecum, ea, qua pollet humanitate, communicata. Hortante clariſſimo Viro Angelo Colotio, Philippus Fratris ſui geſta collegit, & Colotio metipſo dicavit. Vita de qua hic ſermo, differt ab altera, quæ extabat penes P. Bernardum Gentilium, vernaculo Sermone conſcripta per Fabricium Lazzarellium ex Hieronymo fratre Ludovici Nepotem, recenſita a ſæpius (a) prælaudato Ruelejo, & a Joanne Baptiſta Boccolinio (b), quibus exemplar idem P. Bernardus, principio

[a] Ruel. Scanz. 22 pag. 125. = *Tra le altre io ſtimo la Vita MS. del Lazzarelli, la quale benchè rozzamente ſcritta da Fabritio Nipote del medeſimo Lazzarelli, viene conſervata in Originale dal medeſimo Padre, ec. Eſſa è però mancante del principio: onde queſta perdita fa, che non poſſa dar copioſa contezza degli Studj giovanili, de' ſuoi Maeſtri, ec.* (b) Boccolin. Dichiarazione di alcune voci del Quadriregio pag. 273. 288. e 349. ‡ pag. 273. *Nella Vita MS. di Lodovico Lazzarelli da Sanſeverino benignamente comunicatami dal P. Bernardo Gentili, ec.*

Digitized by Google

cipio tamen carens impertitus eſt. Ludovicus ſcripſit quæ ſequuntur

I. LUDOVICI LAZZARELLI SEPTEMPEDANI BOMBYX AD AN. COLOTIUM HONESTÆ INDOLIS PUERUM in 4. abſque nota Anni, Loci, vel Typograghi Carmen hoc recuſum fuit opera B. Rhenani. *Baſileæ apud Jo. Frobenium* 1518. *in* 4. inter Sacra, & Satyrica Epigr. Lud. Bigi Pictorii, cum nonnullis Michaelis Verini. B. Dardani. Benedicti Jovii. Laurentii Lippi, & P. Fauſti Andrellini. Meminit hujus Poematis etiam Getſnerius in Bibl. Univerſ. edita *Tiguri* 1545. *in fol. pag.* 488. & Ruelejus Scanz. 22. pag. 125.

II. LUDOVICI LAZZARELLI POETÆ CHRISTIANI AD FERDINANDUM REGEM DIALOGUS, CUI TITULUS, CHRATER HERMETIS EXCUSUS PARISIIS AB HENRICO STEPHANO 1505. *in* 4. Vidi in Bibliotheca Barberina; in altera Bibliotheca S. Mariæ in Vallicella Urbis extat Liber ſub hoc titulo = *Lodovici Lazzarelli Crateris Hermetis adjectis Pimandro, & Aſclepio Mercurii Triſmegiſti. Pariſiis in Officina Simonis Colinei e Regione Scolarum Decretorum habſtantis Anno Domini omnium Salvatoris ſecundo, & viceſimo ſupra ſeſquimilleſimum quinto die Menſe Maii in* 4. = Hic liber ſic recenſetur a Philippo fratre = *Dialogum qendam de Summa Hominis felicitate horatione ſoluta quod Calix Chriſti, & Crater Hermetis nuncupatur* = Meminit hujus Lbri etiam Simlerus in Epitome Bibl. Getſneri pag.

pag. 556. Thomas Hydeus in Catalogo Bibliothecæ Bodlejanæ in Academia Oxonienſi edito Oxonii e Theatro Scheldoniano 1674. in fol. pag. 390. ſic refert hujus Libri Titulum = *Dialogus dictus Crater Hermetis. Pariſiis* 1522. *in* 4. =

III. DIFFINITIONES ASCLEPII HERMETIS TRISMEGISTI DISCIPULI AD AMMONEM REGEM PER LUDOVICUM LAZZARELLIUM AD PATREM SUUM JOANNES AY AD LATINA E GRÆCO TRADUCTAS CONSECRAVIT ERUDITISSIMO, ATQUE IN OMNI DISCIPLINARUM COGNITIONE CONSUMATISSIMO TOTIUS ITEM GALLIÆ PHILOSOPHORUM PRINCIPI JACOBO FABRI STAPULEN. &c. ITEM SYMPHORIANI OPERA, SEU LIBER DE QUADRUPLICI VITA THEOLOGIA ASCLEPI HERMETIS TRISMEGISTI DISCIPULI CUM COMMENTARIIS &c. *Lugduni expenſis honeſtiſſimorum Bibliopolarum Stephani Gueyhardi, & Jacobi Huguetani arte vero, & induſtria Jannot de Campis Anno Dom.* 1507. *finitum pridie Kalend. Auguſti in* 4. Titulus hujus Libri habetur in Apparato Litterario Friderici Gotthilf Freytag edito Lipſiæ ex Officina Weidmanniana. 1752. in 12. Tom. 1. pag. 655., ubi notatur = *Joanni Alberto Fabricio Biblioth. Græca L.* 1. *cap.* 8. *pag.* 56. *hæc Ludovici Lazzarelli verſio latina minus nota fuiſſe videtur* =

IV. DE IMAGINIBUS GENTILIUM DEORUM. Duo exempla hujus Libri extant in Bibliotheca

Digitized by Google

bliotheca Vaticana inter Codices Urbinatenſes n. 716. e 717. ſub hoc titulo = *Ad Illuſtriſs. Dom. Fridericum Feretrenſem Urbini Ducem &c. Ludovici Lazzarelli Severinatis Poetæ Laureati de Gentilium Deorum Imaginibus liber Primus feliciter incipit*

*Cui dedit Æternum bello Victoria nomen*
*Et mores Divi Cæſaris unus habes &c.*

Codex eſt membranaceus paginarum 56. in 4. cum multis depictis Imaginibus = Si fides Ruelejo in loco citato = *Portoſſi il Lazzarelli nuovamente in Venezia, e avendo trovato in una Bottega di Librajo una Raccolta di belliſſime figure di Deità de' Gentili, gli ſervì per comporre un Libro De Imaginibus Deorum Gentilium, il quale tornato in Patria inviò a Federico Duca d'Urbino, da cui ricevette in dono cinquanta ducati d'oro, ed un Mantello* =

V. LUDOVICI LAZZARELLI SEPTEMPEDANI POETÆ CHRISTIANI AD CHRISTIANISSIMUM GALLORUM REGEM DE FASTIS CHRISTIANÆ RELIGIONIS. Ita habet exemplar cujuſdam Codicis, quem teneo exſcriptum ab altero Codice, qui extat penes Canonicum Nicolaum Matteuccium Patritium Firmanum Virum tum doctrina, tum comitate eximium. Autographus Liber ſervatur in Bibliotheca Vaticana num. 2853. Exemplar aliud Mediolani in Biblioth. PP. Societats Jeſu, ut habetur ex *Lorin. in Comment. ad Epiſt. II. Divi Petri cap.* 1. & in Bibliotheca Breræ, ut referunt

runt Zacharias [a] & Auguſtinius (b). Is Poema diviſum eſſe ait in XVIII Libros. Franciſcus Pamphilius in XII (c). Revera tamen totum opus dividitur in XVI Libros, quibus Lazzarellius manus admovit in Oppido Prolaquei vulgo Pioraco, & Romæ abſolvit, prout ipſemet inquit in Faſt. Lib. XVI.

*Clauſit Roma meos orditur Ploraca Faſtos.*

Hic notare erit, qualiter Exemplar Mediolani, ad Divum Ferdinandum de Aragonia, & ejus Primogenitum Alphonſum Poema dicatum habet, quando aliud penes me, ad Carolum Gallorum Regem: quapropter ſuſpicatus ſum, Poema, antea Carolo VIII. Gallorum Regi inſcriptum, deinde per eundem Lazzarellium ad Alphonſum fuiſſe nuncupatum. Carolus VIII. qui Neapolis Regnum Imperio ſuo adjecit, in flore juventæ obiit, ideo, quod antea

tea

(a) Franc. Zaccaria Lettera ſopra alcuni MSS. nel T. 44. degl Opuſculi Scientif. a cart. 483. = *Ludovici Lazzarelli Septempedan Poeta Chriſtiani ad inviƈtiſſ. Principes Divum Ferdinandum de Aragonia Partenopaeum Regem, & ejus Primogenitum Alphonſum Calabria Ducem. Nè io in queſto Codice, che ſembrami quel deſſo, che a queſti Principi ſi deſtinava conſidero le ſuperbe Miniature, nè l' eleganza dello Scritto, ec.*

[b] P. degli Agoſtini Iſtoria de' Scrittori Veneziani T. I. pag. 188. *Lodovico Lazzarelli di Sanſeverino dilettantiſſimo di cotal Arte, il quale trovandoſi nella Corte del Principe di Camerino raccogliendo memorie per iſtendere XVIII. Libri de' Faſti della Religione Criſtiana, che a' dì noſtri in Milano nella Bibliot. di Brera ſcritti a penna ſi cuſtodiſcono ec.*

(c) Pamphil. in Poem. Picenum pag. 68.

*Hac qui bis ſenos de Faſtis Urbe libellos*
*Edidit egregium temporis hujus opus.*

tea uni paraverat, alteri poſtea Carmen Ludovicus dedit, & ſic factum eſt, ut unum exemplar ab altero differat, & quod nonnulli in XII, alii in XVI, cæterique in XVIII. Libros Faſtorum Poema dividunt. Hoc opus præ cunctis, quæ Lazzarellius edidit, illuſtrius, Eique Summorum Virorum laudes maximas peperit. Nondum typis cuſum habetur: attamen in Orbe Terrarum notiſſimum, & hujus meminere Nicolaus Aſtemius [a], Horatius Civallius (b), Camillus Lilius, qui ex dictis Libris nonnulla Carmina exſcerpſit, & in ſua Hiſtoria Camerinenſi inſeruit (c), necnon Clariſs. Vir, & mei amiciſſimus Turchius in ſuo Libro de Epiſcopis Camerinenſibus [d], aliique ejus Ævi Poetæ, quorum Carmina ad calcem hujus Libelli duxi exſcribenda. Forſan aliquando totum opus, vel per me, vel per alios publci Juris fiet.

VI. LU-

(a) Nicol. Aſtemius in deſcriptione Civitatum totius Orbis inter Cod. Vatic. Urbinat. num. 294. = *Lazzarellus apolinari laurea renatus, qui inter alia ingenii monumenta Chriſtianos Faſtos per totius anni Circulum elegiaco carmine digeſſit.*

[b] Orat. Civallius in viſita Triennali Par. II.

(c) Lil. Stor. di Camer. Par. II. Lib. VII. pag. 224. = *Di queſta parla il Poeta Lazzarelli Sanſeverinate ne' Verſi appreſſo regiſtrati ec.* Idem in Dict. Hiſtor. pag. 229. ubi de Fabritio Varaneo inquit *Il Poeta Lazzarelli lo celebra, e lo raccorda per ſuo Mecenate.*

[d] Octavius Turchius de Epiſc. Camer. pag. 297. *Radulphus igitur Vaſanius Filium ſuum Fabritium liberalibus diſciplinis inſtituendum dedit Ludovico Lazzarellio Nobili Sanſeverinati morum integritate, & doctrinæ laude inſigni. A Friderico Imperatore Lazzarellius ob præclara ejus carmina laurea fuit corona donatus. In Vaticana Bibliotheca ſervatur MS. inſign. Lazzarelli opus de Faſtis Chriſtianæ Religionis &c.*

VI. LUDOVICI LAZZARELLI POETÆ LAUREATI CARMEN DE APPARATU PATAVINI HASTILUDII. Extat inter Codices MS. Bibliothecæ Regiæ Pariſienſis num. 8372. prout ex illius Catalogo Tom. IV. Par. 3. Meminit pariter hujus Poematis Tomaſſinius in Biblioth. Patavina MS. pag. 86, inquiens, *apud Laurentium Pignorium* ſe vidiſſe = *Ludovici Lazzarelli de Apparatu Haſtiludii Patavini Fragmentum*, & in pag. 124. Ibidem *penes Joannem Baptiſtam Fichettum Ludovici Lazzarelli liber de Apparatu Patavini Haſtiludii cart. 25. chartac.* Titulum hujus Libri, & initium habemus ab Auguſtinio (a) in loco citato, & ſequens eſt = *Ludovici Lazzarelli Liber de Apparatu Patavini Aſtiludii ad D. Joannem Chetuort de Brittannia Archidiaconum Linconienſem, & Patavinæ Juriſtarum Accademiæ Rectorem, incipit*

*Quis regis Aſtreæ divini Juris Alumnos.*

De Hoc Carmine ita Philippus Ludovici Frater
„ *Audivit itaque Georgium Merulam Alexandrinum*
„ *magna cura, & diligentia. Quo tempore accidit,*
„ *ut Patavii Equites armati concurrerent, quod ver-*
„ *ſu heroico repoſuìt a quocumque doctiſſimo approbatum,*
„ *idque Accademiæ Patavinæ Rectori D. Joanni Ar-*
„ *chidiacono Linconienſi Brittanno, & ditiſſimo, &*
„ *ſplendido, & liberali donavit. Qui quidem in ac-*

 „ *cipiendo*

(a) Agoſtini Storia de' Scrit. Venez. Tom. I. pag. 94. *La Poetica deſcrizione del Lazzarelli, che ſi conſervava a penna in un Codice Miſcellaneo preſſo l' Amico noſtro Gianfranceſco Burchelati Dottore delle Leggi, e Cittadino Trivigiano tiene col titolo queſto principio: Ludovici Lazzarelli, &c.*

„ *cipiendo Magiſtratu ſumptu proprio, congredientibus*
„ *præmia poſuerat &c.*

VII. ELEGIÆ, ET EPIGRAMMATA. Plura atque plura Poemata elegiaco verſu Lazzarellium ceciniſſe, accipimus a Philippo fratre, qui addit, quod „ *cuncta in Libellum redegit manu propria*
„ *exaratum, & cum per id tempus Ferdinandus Rex*
„ *Parthenopeus Alphonſi Senioris Genitus a Pio II. Pon.*
„ *Max. eſſet coronatus; & contra eum bellum commit-*
„ *teretur per Joannem Ducem Renati Regis Filium, qui*
„ *dictum Regnum vindicare intendebat, ageretque Fer-*
„ *dinandi Partes Alexander Sfortia Piſauri Dominus.*
„ *Joannis vero Ducis, Jacobus Piccininus, Ludovi-*
„ *cus tunc ſatis teneræ ætatis compoſuit magno cum*
„ *decore, & ornatu prælium inter ipſos commiſſum*
„ *apud Sanctum Fabianum Oppidum nunc dirutum*
„ *in Planitie Turdini Fluminis heroico Carmine.*

VIII. ECGLOGÆ. Idem Philippus Frater ait = *Ecglogas decem compoſuit, quæ quidem myſtice, & allegorice præcipua Salvatoris Myſteria continent. Adventum ſcilicet a Prophetis prædictum. Virginis Nuntiationem, & Verbi Humanitatem. Chriſti Natale, & ipſius Paſſionem, & Mortem. Deſcenſumque ad Inferna. Reſurrectionem. Aſcenſum ad Aſtra. Sancti Spiritus Miſſionem. Mariæ Virginis denique Aſſumptionem, quibus propoſuit aliam Eclogam per intervallum temporis ab eo compoſitam, cujus Laurea eſt titulus, ubi deſcribit cum ab Imperatore Federico fuit laurea coronatus* = De his Ecglogis mentio eſt penes Rueleum in Scanzia 22. pag. 125. ſic

ſic = *Racconta l' Autor della Vita, che ritornando in la Magna l' Imperadore andò alla Terra di Perdeno, e preſentò a Giovanni Roth Segretario la ſua Buccolica con aggiuntavi un Elegia* = Nonne Sanazarius, quæ Lazzarellii fuere carmina, Plagiarius ſibi adſcripſit illa in Libro de Partu Virginis? De hac re videant alii; Suſpicio quidem non abeſt, nec quærenti deerunt aliquales probationes.

IX. DE MORTE CATHARINÆ DUCISSÆ ADRIÆ AD PHILIPPUM FRATREM PATAVII JURI CIVILI STUDENTEM EPISTOLA ET PROSA ET CARMINE HEXAMETRO SCRIPTA. Memoratur in Vita, quam Philippus Frater ſcripſit, addens *hanc Epiſtolam ſententiis fuiſſe refertam*.

X. DE SPERA. Idem Philippus in prælaudata Vita teſtis eſt, Ludovicum *Speram carmine compoſuiſſe*.

XI. ORATIONES. Plures, atque plures, quoad vixit, Ludovicus elucubravit, ut inquit ejus Frater in prælaudata Vita, & Ruelejus in Scanzia 22. pag. 130. addens = *Lodovico Lazzarelli recitò un Orazione in lode di Matteo Graſſi Uomo Chiaro* =

XII. DE MATHESI ET ASTROLOGIA LIBRI (Si fides Cancellottio id aſſerenti in Chronacis MSS. Septempedæ) penes Hæredes Ludovici ſervabantur. Fruſtra ab ipſis tum Libros Aſtrologicos, tum relata carmina expetii. Hæc vel periere, vel in Bibliothecarum latibulis deliteſcunt. Utinam aliquando proferantur; nam ſatis com-

pertum eſt plura, atque plura præter relata Opera, & ligata, & ſoluta Oratione Ludovicum edidiſſe, de quo Philippus ejus Frater teſtis eſt luculentiſſimus. Operæ pretium erit ſi hic exſcribam, quæ cultiſſimi illius Ævi Poetæ ad Lazzarellium Carmina dedere, & ſunt ſequentia relata per Philippum Fratrem in ſæpius prælaudata Vita.

## LAURENTIUS LIPPUS.

Hæc Vates noſtri modo ſuſcipe pignus amoris
Carmina: ſi noſtrum pignore pectus eget.
Vellem equidem tales noſtro de pectore verſus
Effluere, ut noſtro clarus honore fores.
Vellem divitias mihi fors inimica dediſſet,
Ut precium Muſis eſſet, honoſque tuis.
Non eſſet noſtro quiſquam te lætior ævo,
Ferretur ſtudiis libera Muſa ſuis;
Cui potius tam multa darem? quis dignior eſſe,
Quis poſſet meritis aptior eſſe meis?
Scilicet ingenio, doctrina, ac moribus amplis,
Et vario excultum munere pectus habes.
Quam bene tu ſacris tribuis tua pectora faſtis,
Naſonem vincis: vincis & Auſonium.
Hi res mortales, aut liba prophana canebant,
Tu canis Æternæ Relligionis opus.
Protulit ingentem tenuis *Septempeda* Vatem
Seu vinctus numeris, ſeu pede liber eas.

Vellem

Vellem inquam præbere tuis poſſe ocia Muſis
  Dignum erat hoc noſtro pignus amore magis.
Me quoque ſed ſimili jactat fortuna procella
  Cogor, & ut vivam multa dolenda pati.
Sunt nullo in pretio Muſæ, jacet obruta virtus,
  Invida fors ſolis eſt LODOVICE bonis.
Haud ſoli ſumus: hæc nobis ſolatia reſtant.
  Fortunæ Sotii grande levamen habent.
Duremus tamen his etiam finem afferet ætas,
  Sæpe redit pulſa nube ſerena dies.

B 3 ASTRE-

---

LAURENTIUS LIPPUS Collenſis Poeta & ipſe non ultimi nominis, de quo ait Giraldius de Poetis ſuorum temporum Dialog. 1. pag. 534. = *Nec ab his longe abſuit Laurentius Lippus Collenſis, qui Oppiani halieutica, ideſt Piſcatoria ad Laurentium Medicen latina facta miſit, diſtichorumque Libellum* = In Bibliotheca Vaticana inter Codices Urbinat. num. 369. extant Laurentii Lippi Collenſis Vita Oppiani, & Oppiani de Piſcibus Lib. v. e græco translati, & ejuſdem Lippi Diſtica. Liber de Piſcibus cum Scholiis Pictorii editus eſt *Baſileæ* 1560 *in* 8. Vita ruſtica in Amphiteatro Socratico. Nonnulla ipſius Carmina extant inter Delicias Poetarum Italorum, & inter Flores Epigrammatum excerptos per Leodegarium a Quercu &c. *Lutetiæ apud Petrum Begnin* 1555. *in* 12. & inter Sacra, & Satyrica Epigram. collecta a B. Rhenano &c. *Baſileæ apud Jo. Frobenium* 1518. *in* 4.

# ASTREUS.

Quid proceres Populis tribuit quibus ampla regendis
    Sceptra Deus: largas quive tenetis opes:
Virtuti rapitis ſua premia? premia ſumit
    Debita Palladiis flagitioſa Cohors.
Virtutum uſurpant nunc crimina fæda coronas,
    Nunc ſcelus exultat, ſtrata dolet probitas.
En celebres facili recolet qui carmine faſtos:
    Pro re condigno nomine fertur inops
Hunc ſtola congrueret: cui paſtoralis obiret
    Himphula ceſariem qui bene paſcat oves.
Hic oracla Dei ſolers ſervatur ad imum
    Nititut & Chriſti promere facta Dei
Moribus hic ſacras leges conſumat honeſtis
    Nulla magis ſacro pectore cura ſubeſt.
At tibi ſi deſint nunc dona ſolubilis Ævi
    Præmia perpetui te Lodoice manent.

MA-

---

Blasius Astareus, ut plurimum Astreus appellatus Papienſis extitit, & Medicus. A Ciaconio in Bibliotheca col. 418. *Blaſius Agaſtarius, ſeu Aſtarius*, & a Tiraquellio in Libro de Nobilitate cap. 31. *Aſparius* dicitur. In Patrio Gymnaſio primum Philoſophiam docuit, deinde Romæ aliiſque in Urbibus Medicinam fecir. De eo Sermo eſt in Volfangi Juſti Chronologia Medica: in Linden. Renov. pag. 132. ac Manget Biblioth. Script. Medic pag. 185. Vol. 1. Edidit præter Epigrammata varia, Conſilia quædam Medica valde utilia, quæ Typis commiſſa ſunt una cum aliis Joannis Matthæi de Grado. *Veneiiis apud Lucam Antonium de Giunta* 1521. in fol Item De curandis Febribus Tractatus, ab Aben Haly ſuper primam Quarti traditum. *Lugduni apud Vincentium de Portonariis* 1532. & Francofurti 1604. in 8.

## MACHARIUS MUTIUS CAMERS.

Clara novis Cœlo properat Septempeda faſtis
Aurea dum feſtos jungit ad Aſtra dies



---

Macharius Camers ex Nobili Mutiorum genere prodiit, Poeta elegans ſi quis alius a cunctis reputatus. Mendoſe a Konigio in *Bibl. Vet. & Nova pag.* 563. & a Donato Calvo in *Scena Letteraria degli Scrittori Bergamaſchi* pag. 275. & 380. eque Macharius, ac Hieronymus ejus Filius inter Bergomates recenſentur. Neminem hic latet tantos Viros cæcutire voluiſſe; nam in cunctis editis Libris tum Macharius, tum Hieronymus, apertiſſime, Camertes, denominantur. Mutia Gens tam nobilitate, quam litteris quatuor ab hinc Sæculis apud Camertes claret. Avenantius Mutius ſiquidem anno 1395. Gramatices præcepta dedit in Gymnaſio Bononienſi, ut refert Alidoſius in Libro *Dottori Foreſtieri pag.* 3, deinde Medicinam fecit plurimis in Urbibus, & Ejuſdem, Typis cuſus habetur Liber, cui titulus = *Carmina de Urinarum Judiciis edita ab Excellentiſſimo Dom. Magiſtro Egidio cum Expoſitione, & Commento Magiſtri Gentilis de Fulgineo noviter caſtigatis, & pluribus in locis emendatis per Magiſtrum Avenantium de Camerino Artium, & Medicinæ Profeſſorem. Baſileæ in Ædibus Thomæ VVolfii anno* 1529. *in* 12. = Martinus Lipenius in ſua *Bibliotheca Reali Medica* pag. 484, vel Titulum Libri a me hic ſupra recenſitum, immutavit, vel Avenantius alterum Librum edidit, cui Titulus, juxta Lipenium in loco citato = *Ægidii Monachi de Urinis liber* 1. *De Pulſibus liber* 1. *cum Expoſitione, & Commento Gentilis Fulginat correct. per M. Avenantium de Camerino. Baſileæ in* 8. 1529. = Quoquomodo res ſe habeat, hoc unum erit indubium, quod Avenantius iſte, idem eſt, ac Venantius Mutius, prout apparet ex pag 99. illius Libri, cui titulus ſupradictus = *Carmina de Urinarum Judiciis*; nam in Epiſtola dedicatoria ſic = Venantius Mutius de Camerino *Alexandro de Bartholaciis de Monte Ulmi ſalut. P. D.* = Gramaticum Avenantium, ab altero Avenantio Medico differre ſuſpicor; at de hac re alias alibi. Præter Avenantium in Sæculo xvi. vixit Lactantius Mutius Camers, de quo ſermo eſt in *Commentariis*

*Jo-*

Irrita cum cauſis valeant tua tempora Sulmo
Editur æternæ Relligionis opus.

AN-

---

*Joannis Matthæi Duraſtantis ad Luminare Majus* editis Venetiis apud Lucam Antonium Juntam an. 1566. in fol. pag. 140. & ſeq. ſic = *Inter Pharmacopeos in mentem mihi conſubeunt Angelus Paetitus Matillicas &c. Lactantius Mutius Camers &c. Mutius ingenio Eloquio Artis notitia, & probitate, alio Apenninicolæ Seplaſiario nulli ſecundus eſt &c.* MUTIA gens ergo ad Camertes ſpectat, & hodie ingenio florent DOMINICUS, ANGELUS, ET PHILIPPUS MUTII Germani Fratres, Litteratique Viri, in quibus Camerinum habet quos poſſit extollere. Me haud latet hos nil cum Machario. MACHARIUS MUTIUS, cujus Carmen ad Lazzarellium, Julio Cæſari Varanio fuit apprime carus, & eum Julius ad Robertum Malateſtam, alioſque Principes allegavit]. Neapoli pluries, ipſe idem inquit = *Cum mandatis Principum fui variis ſub Regibus; Romæ autem diverſis Pontificibus ſæpiſſime. Ferrariæ Orator quum Dux Inclytus Hercules ſplendore Ordinis Equeſtris me honeſtavit. Venetiis quinque fere annis manſi Ducis Urbini Legatus turbolentis Alexandri temporibus, illiuſque negocia non minus fideliter, quam diligenter geſſi. Quin & intimas Gallias Orator penetravi, ac Regem Ludovicum conveni a quo humaniſſime ſuſceptus, quæ petii facile impetravi* = In Agro Nurſino cum Copiis. In Agro Aſculano pariter Præfectus Militum, & Juridicundus res plurimas geſſit, & multorum Principum nomine varias Italiæ Urbes peragravit. Imo a pluribus Civitatibus Prætor electus, non minus lenitate, quam æqua lance, illas moderatus eſt. Anno 1514. in Oppido Civitanovæ in Piceno jura dedit, & quidem rectiſſime, & ubique locorum ſibi, communique omnium ſaluti proſpexit: quapropter cordi omnibus ſemper fuit, & maxime hominibus virtute præditis, inter quos primum tenet locum Angelus Politianus, uti colligere quiſque poterit ex mutuis ad invicem datis Epiſtolis. Uxorem duxit nobilem Fœminam, quæ plures illi peperit Filios, inter quos haud reticendus erit Hieronymus, & ipſe in litteris primæ Notæ Vir, prout colligitur ex editis Libris, quos totus Orbis Litteratus commendat, & præſertim ex illo, cui titulus = *Compendioſa Ars Metrica a Hieron. Mutio*

*Camerte*, *Excudebat Camerini Jo. Jacobus Bononien* 1524 *in* 8. Macharius ejus Pater, quoad vixit, elegantiſſima Carmina protulit, quorum nonnulla ipſemet vivens, aliaque Hieronymus Filius, poſt Patris obitum, in lucem emiſit. Boccolinius in *Apparato degli Scrittori Piceni* Anno 1580. Konigius in Biblioth. Vet. & Nov. ann. 1639. Macharium Mutium obijſſe ferunt: mendoſe tamen; nam is fato deceſſit anno 1523. Scripſit vero, quæ ſequuntur.

*In laudem Virginis Mariæ Parthenoida Elego ſtilo edita*, *& hecaſtiſticon heroico*. *POLIUCUS*, *ſeu CARMEN.*, *quo Divum Venantium Camertum Patronum celebravit Camerini in* 4. abſque nota anni, vel Editoris.

*DE TRIUMPHO CHRISTI impreſſit Venetiis Presbiter Franciſcus Lucenſis &c an.* 1499. *in* 4. & ſub titulo *De Triumpho Crucis Venetiis per Nicolaum Zoppinum* 1532. *in* 8. *Et Macharii Mutii Triumphus Chriſti cum Commentariis Joſ. Herlenii*. *Venetiis* 1567. *in* 8. ſi fides Lipenio hanc editionem referenti in Bibliotheca Reali Philoſophica pag. 188. = Extat & altera editio Baſileæ, & Coloniæ, & tandem Romæ ex Typogr. Rev. Cam. Apoſt. 1639. in 8. Curante Cæſare Gorio.

*DIVI SEBASTIANI ENCOMION*. *Excuſſit Camerini Jo. Jacobus de Benedictis* 1523 *in* 4.

*DE CASTIMONIA, ET FACULTATE POETARUM*, *&c. Coloniæ Henricus Mamerinus excudebat anno* 1550. *in* 12.

*EPISTOLA ad Angelum Politianum extat inter Epiſtolas Illuſtr. Virorum in Officina Nicolai VVolſf* 1499. *in fol. Lib.* VII. *Epiſtol.* 101. *Inter Politiani Epiſtolas pluries recuſa*.

*SICELIS CARMEN*, quod Divæ Luciæ laudes complectebatur elegis verſibus, & litteris.

*CONQUESTIO DE CHRISTO CRUCIFIXO* memoratur ab eodem Machario in Libro de Caſtimonia Poetarum. & de Triumpho Chriſti. In Codice Vaticano 3836. pag. 191. extant pariter alii Macharii Verſus. Tandem iſtius meminere Giraldus de Poetis ſuorum temp. Dial. 1. pag. m. 563. Simlerus Epit. Bibl. Geſn. p. 539. Poſſevinus Selecta Hiſtorica, & Poetica. Lilius Hiſt. Camer. pag. 227. Jacobillius Bibl. Umbriæ p. 195. Cæterique, &c.

# ANGELI CALLIMACHI SICULI.

## Ex Suo Catalogo Vatum.

Quis Lazzarellum ſileat ? Septempeda doctum
Quem genuit Picena Virum ? nam carmine ſacros
Alterno cecinit faſtos, & myſtica ſanctis
Et doctis referant : docuit quæ reddere fauſtos
Feliceſque Viros poſſunt : pietate ferendus
Ipſe quoq. in numerum [ſic poſcunt Numina] Vatū

PLA-

Angelus Callimacus Siculus juxta Morerium = *Etoit probablement de Meſſine* = Fidibus latinis Poema cecinit, cui titulus Rhegina in laudem ſcilicet Cardinalis Petri Iſunghia Archiepiſcopi Rhegii Julii in Brutiis, ut plurimum appellati *Cardinalis Pebeginus*, Eidem Cardinali dicavit & ipſe opera Aſtronomica Gabrielis Pitovani Mediolanenſis : de eo vide quæ habentur in Diariis Venetis Tom. 28. pag. 380. Morer. Dict. Hiſtorique V. Callimaque. Callimachus Monſviridis Mazarenſis Poeta Dominici Caldarini Veronenſis Socius appellatur ab Antoninio in Biblioth. Sicula T. 1. pag. 121. Hujus meminere Jo. Jacobus Adria in Typographia Mazar: & Abb. Pirrus not. Eccl. Mazar. pag 543. Scripſit *De laudibus Siciliæ. Commentaria Poetica. Epiſtolas Familiares &c.*

## PLATINA.

Nunc liquido apparet Sententia Priſca Platonis
Alternas rerum jam remeare vices.
Nunc mihi credibile eſt, quod mentem Vatis Homeri
Ennius induerit; qui fuit ore potens.
Quod de ſe affirmat Sancius non ecce refello
Pantoides fuerit, denique Pythagoras.
Quis neget Ovidium Campis rediiſſe beatis
Si Lazzarelli Carmina blanda legat?
Inter ſe occurrunt æquo luctamine faſti
Ni canat iſte Deum ni canat ille Deos.
Hunc mage commendat ſed Chriſti verior ætas,
Et ſcriptum veræ Religionis opus.

SUL-

---

Bartholomæus Scacchi Cremonenſis ex Vico Platina, Platina nuncupatus, de quo fuſe agunt Muratorius inter rerum Italicarum Scriptores Tom. xx. pag. 618. & ſeq.: Apoſtolus Zenus in Diſſertationibus Woſſianis Tom. 1. pag. 242. & ſeq; innumerique alii. Fuit non minus Hiſtoricus, ac Poeta. Diu Romæ vixit, ubi modo fauſtam, modo tulit iniquam fortunam; nec honores, nec injuriæ ſibi defuere. Obiit tandem in Urbe peſte ſublatus anno Domini 1481. ætatis ſuæ ſexageſimo, ſepultus in Exquiliis ad Divæ Mariæ Majoris. Scripſit *De Geſtis Romanorum Pontificum. De Naturis rerum. Epiſtolas varias. De honeſta voluptate Libros decem. De falſo, & vero bono Dialog. tres. Contra amorem Dialog. 1. De vera Nobilitate Dialog. De Optimo Cive Dialog. 2. Panegyrim de Beſſarione Card. Ad Paulum II. de Pace. De Arte Culinaria. Carmina varia*, quæ omnia Typis pluries cuſa, recuſaque fuere.

Digitized by Google

O cui cœleſti conflagrat pectus amore,
Et qui cum Signis annua feſta canis.
Quamvis Pontifices non dent tibi præmia digna,
Accipis a Superis qualia nullus habet.
Myſtica non vulgo ſic tu Sanctiſſime Vates
Unica Piceni Fama perennis Agri.

## IDEM.

Loris ætherei tonantis actus
Miſſis prodigiis, jociſque Vatum
Sacrorum monumenta cuncta diſcis;
Et verſu facili: ſed erudito
Faſtos, & Sacra Lazzarelle ſcribis,
Et Cœlum tibi comparas, decuſque:
Hoc verum eſt ſapere: haud labore vano
Tot nugas aperire fabularum.

PAU.

---

Joannes Sulpitius ab Urbe Veruli Verulanus nuncupatus, Innocentio VIII. Pontifice, in Urbe humaniores litteras docuit. Primus hoc Sæculo Tragedias, Comœdiaſque agendi modis muſicis, uſum reſtituit; itemque primus Vitruvii Libros de Architectura publici Juris fecit. Scripſit Commentaria in Lucani Pharſaliam: Libros duos de re Militari: Librum de Moribus: Præludia Gramaticæ, aliaque. Sulpitii Verulani mentio fit in Dictionar. Critico Baylii, & Diction. Morer. Spera lib. 4. de Nobil. Profeſſ. Gramat. & Human Fabricius Bibl. latin. T. 2. pag. 221. edit. Venet. apud Sebaſtianum Coletti 1728. in 4. & Cataff. de Gymn. Romano pag. 305. laudibus Sulpitium efferunt

# PAULUS MARSUS.

Sit vicina mihi quamvis Naſonis Alumni
Natalis tellus: Dux ſit & ille mihi
Sint licet amoti Piceni longius Agri
Faſtorum Vatem quæ tulit ora novum:
Conferat amborum ſi quis me judice laudes
Vera loqui patrius non prohibebit Amor.
Naſo canis veteres faſtos, ut quilibet ardens
Concupiat totidem qui periere libros.
Qui canit at facili noſtros modulamine faſtos
Non minus Eloquio fert Ludovicus opus.
Si bis in octonos ſcindit Liber ille libellos
Rerum in ſe o quantum congerit illud opus.
Vana canis decepte tuo ſed temporeNaſo.
Concinit hic veri ſacra colenda Dei.

Si

---

Paulus Marsus Ortus eſt in Regione Marſorum in Pago Cæſarum; attamen ambitionis faſtu elatus, natale ſolum veluti ignobile deſpiciens, non Ceſenſem, at Piſcina oriundum ſe profitetur in Commentariis Faſtorum Ovidii. Sub Pomponii Leti, & Argiropuli diſcipiina una cum Petro ejus Fratre multum profecit, & de illius ingenio, in aliis Ovidii Naſonis Poematibns, Marci Tulli Ciceronis, & Horatii, producta Commentaria remanent. De Paulo Marſo loquitur Mutius Phœbonius in ſua Marſorum Hiſtoria, edita Neapoli apud Michaelem Monacum 1678. in 4. pag. 132. Sabellicus pariter in Dialogo de Latinæ linguæ Reparatoribus eum impenſe laudat. Corrigendi ergo tum Caraffa de Gimn. Rom. pag. 312, tum Oreglia in Tom IV. Diction Hiſtorici Portatilis pag. 64., qui Paulum Patria Piſcinenſem fuiſſe, mendoſe aſſerunt. Sit haec Phœbonio; quoniam ſatis compertum eſt, Petrum, & Paulum Marſos Fratres Germanos extitiſſe, & ſicuti in dubium revocari nequit, quod Petrus

[ Te-

Si caneretis idem, veterumque abſcederet error
Et quantum parili lance ſederet honor.

(Teſte Leandro Alberto in Deſcriptione Italiæ, ubi de Marſis pag. mihi 125.) fuerit CESENSIS; Talis & erit dicendus Paulus Frater, qui inter Ejus Ævi Clariſſimos Poetas recenſeri meretur. In Codice 3339. Bibliothecæ Vaticanæ, habetur Pauli Marſi Carmen de Aureis Peruſiæ Sæculis per Paulum II reſtitutis. Item alia ipſius Poemata extant in Codice Reginæ Svecorum, nunc Vaticano ſub. num. 1385.

## POMPILI VICOLINI SEPTEMPEDANI,

### EPITAPH. CLAR POETÆ LUD. LAZZARELLI

Qui fueram Patriæ decus? Orci inviſus ab umbris
(Hic jaceo) quoniam miſtica ſacra dedi.
Me rapit ut ſileam hæc Dis: & trahor ad Radamanth-
Tunc primo obmutuit carmine lingua.... (um
Hoc timuit Pluto cum tartara credere Chriſto
Viſit, me hoc ſubito mittit ad Eliſios.

AN-

POMPILIUS VICOLUS SEU VICOLINIUS eandem Patriam cum Ludovico Lazzarellio ſortitus eſt, nobili nempe eſt genere natus in Oppido Septempedæ. Ibidem adeptus memoriam nominis ſempiternam, tandem vitam profudit, non ſine ſuorum Municipum lacrymis in prima Juventa, cum eſſet ipſe homo ſummi ſplendoris, & nobilitatis. Antonius de Roccacontrara in libro cui titulus = *Il Pacificatore* = Pompilii meminit, de quo nil ultra feram, ne ego antiquum vulnus velle refricare videar.

# ANTONIUS MANCINELLUS VILLITERINUS.

## AD LUDOVICUM LAZ. POETAM NITIDISSIMUM JAM DEFUNCTUM.

Non hic ambages; non ſunt ridicula Vatum;
    Fabula reſpuitur: fictio nulla juvat.
Vera ſides canitur: Sanctorum Vita refulget
    Hanc imitans facili tramite ſumma petet.

Lu-

ANTONIUS MANCINELLUS Vellitri natus, incredibili ingenii, doctrinæque laude floruit. Humaniores litteras didicit Romæ a Pomponio Læto, quo hortante, per quinquennium Pueros ad Litteras in Romano Gymnaſio inſtituit; mox Venetias conceſſit eodem Gramatici munere functurus. Venetiis cunctis plaudentibus, ſua officia, & partes ſuſcepit; ibidemque adhuc moranti Sibinicenſes Dalmatiæ Populi venetos aureos centum cum Domo illi Scholam obtulerunt. Similiter eodem fere tempore a Fulginatenſibus Ludi Litterarii Præceptor deſignatus eſt, minime vero utrumque ultro oblatum munus obivit, quia Eum, ut ipſe ait *jam pridem Patria irretiverat*. Die enim xv. ante Kal. Julii Senatus, Populuſque Veliterinus Antonium Pædotriben elegit an. 1493, cum triduo prius Venetiis rediens, eo appuliſſet, & electum adjecta etiam ſtipe, in Litterarii ludi Præceptorem anno 1494 confirmavit. Patrio Gymnaſio Antonius vale dixit, ut Conſervatoribus, Populoque Urbisveteris aſſentiaretur: Hii VI. Kal. Maii 1498. multis præpoſitis muneribus, præter conſueta ſtipendia, ad eorum Scholam Eum invitarunt. Obtulerunt ſibi per annum Aureos centum quinquaginta, & Domum, & Scholam, & Hypodidaſculum, Advenarumque Diſcipulorum mercedem exceptis eorum ſubjectis ex Comitatu. An. 1499. kal. Maiis Orvietini Conſervatores pro altero anno Eum ultro confirmarunt, & quia ſibi Filius erat annorum XIX. aptuſque erudiendis Pueris, florenos LIV. addidere præ ſtipe, hoc adjecto: externi omnes quotquot

ſua

Ludovice tibi fateor debere latinos
Qui veræ fidei ſcripta nitere vident:
Nam quæ tu narras inſigni Carmine, quondam
Inculta, hic ſplendent, tam bene quæque refers.

CYN-

ſua ſub diſciplina ſtudium impenderent, abſque mercede aliquà edocerentur; unde Civium Fulginii eum ad eorum Scholam denuo invitantium, ſicuti quinquennio jam antea prætterito, nec in præſentia, optatis obſequi potuit. Anno ſequenti vero, cum peſtis in Urbemveterem incidiſſet, Mancinellus functus ibidem docendi officio, Romam petere, ubi alias quinquennio publicè erat profeſſus, decrevit; antea tamen ſeſe ultro Fulginatenſibus obtulit tertio nonas Majas 1500, hac lege, Fulginii Pueros inſtituturus, nempe ſi Senatus ſibi ſtipendium conferret florenorum 210 nulla dempta portiuncula, donarentque & Vindemiæ menſem, hoc eſt a Septembri medio ad Octobris Idus, tunc enim in Romanis Bibliothecis Diſcipulorum gratia, & profectu, verſari ſolebat, quo antiquis Codicibus evolutis Æneidam. Valerium Maximum, Martialem, Solinum, Perſium, & hujuſmodi, quorum quidem jam novas parabat interpraetationes, ubi oportuerit, emendare facilius valeret; quod certe Orvietini etiam conceſſerant. Utrum Fulginatenſes oblatam conditionem acceperint, nec ne, ego ſum neſcius. Hoc unum ſcio quod ope Juſtini Caroſii Civis ſui Gimnaſium rurſus ſibi contigit Urbis anno 1502. At Homo faciIlimis moribus ornatus, nec indiſertus, incidit in mala tempora Alexandri VI, cujus libidinem, ejuſque Aulæ arrogantiam dum intemperantius, abſque ulla ratione repræhendit, Lictores, lingua ſibi, manibuſque amputatis, Eum excruciatum interfecerunt. Vide Bayl. Dict. Crit. Morer. Dict. hiſt. p. m. 69. Theul. in hiſtor. Velitr. Caraf. de Gymn. Rom. p. 559. Ut plurimum quæ dedimus, per ipſuminet Mancinellium erit intelligere in Decad. Serm. 3. & 5 Præter libros, quos numeravimus, Typis editus eſt, Antonii Mancinelli Theſaurus de Varia Conſtructione. *Piſauri per Hier. Soncinum* 1511. *in* 4.

# CYNTHIUS.

Maxima Niliacis crevere volumina ſacris
  Multaque Telchimum myſtica ſacra notant
Multa etiam parvis coguntur ſacra Libellis
  Quæ Numa, vel ſcripti conſtituere Patres:
At tu luctiſonos Nili aſpernatus honores
  Cabirum, priſcos Romulidumque Deos.
Nunc Mariæ tua plectra voves, fidibuſque canoris
  Dulce alternato concinis ipſe ſono.

C Annua.

---

An pro hoc intelligi debeat JOANNES CINTHIUS Forojulienſis, ad quem Bembus Epiſtolam dedit, quæ habetur in Lib. 1. p. m. 23. vel potius *Franciſcus Cynthius Anconitanus* anceps ſum ego. Uterque Poeta extitit, necnon Poeta fuit alter Cynthius, qui in Urbe Ceneda ortus, denominatus CINTHIUS CENEDENSIS, de quo Leander Albertus loquitur in Italia Illuſtrata p. m. 391. Juvat hic recenſere, quæ ſolummodo ad Cynthium Anconitanum ſpectant; nam reor ego inter Anconitanum, & Lazzarellium aliqualem interceſſiſſe neceſſitudinem, jure Propinquitatis Patriæ.

FRANCISCUS CYNTHIUS (ſi fides Juliano Saracenio id affirmanti in ſua hiſtoria Anconitana pag. 506.) Anconæ nobili genere natus, patre Stephano quondam Aloyſii Benincaſii, ſe a pueritia ad ſtudia retulit, & Poeſi valde celebris, acrique, & eleganti ingenio præditus fuit: Non ſolum litteris, ſed & armis valuit; qua de re Mathias Corvinus Pannoniæ Rex eum mirifice dilexit, & ad Pontificem Innocentium VIII allegavit. Cynthius ex rebus præclare geſtis præſertim in Inſula Melitenſi, & in Pannonia contra Turcas, Corvino Rege, magnam laudem, pluresque honores tulit, Caſtrumque Buccharorum Princeps tenuit. Poſt Regis obitum in ſuas remigravit ſedes, & in Uxorem duxit Jacobi Bonarellii Filiam. In Patria ſibi non defuerunt calamitates, quæ Alexandro VI Pontifice, hominem extorrem fecerunt, & miſerabili exilio per annos aliquot vitæ ſubſidia

Annuaque in variis venientia feſta diebus,
  Atque ſtatum recolis quæ voluere diem.
Et Mundi quibus omne datur tria Numina, & unum
  Quum tres ſint numeras vis tamen una tribus.
Inde ſacros Homines Mundi gravitate relicta,
  Qui veram Chriſti jam tenuere viam.

Quis

dia ex Amicorum liberalitate emendicare coegerunt. Attamen omnes caſus ferre ſuum erat, tantaque extitit ſui caritas apud Principes Viros, ut nullum ampliſſimæ dignitatis genus poſſit excogitari, quod ſibi paratum non fuerit. Julii Varanii Camertium Ducis ſeſe in amicitiam contulit, Julioque II. Pontifici Max. in primis cariſſimus, ab eodem fuit Navarchus renunciatus, prœliiſque ſecundis in InſulaRhodi dimicans, Equitum Præfectum ſibi conciliavit, a quo aureo torque donatus eſt. Franciſco Mariæ Urbinatium Duci pariter cariſſimus vixit, Eique non minus in ſecundis, quam in adverſis rebus ſuum præſtans fidem, Calcolumbi Caſtrum in Diœceſi Callienſi præmium ſuorum laborum ab eodem obtinuit: Domeſticis demum inſidiis, & Fratris germani [illegible] accuſatus, non apud Julium II. [Sicuti inquit Valerianius in Libro 2. de infelicitate Litteratorum] verum apud Pontificem Max. Clementem VII. anno 1525., quod contra Sacerdotum imperium ſentiret, Vir alioquin ſimplicitatis integerrimæ, qui in Patria jam Conſul, Carolum Quintum Romam profecturum, ut Anconam peteret, invitaverat, ſumma cum diligentia captus, atque in Phanenſi Arce perpetuo carcere damnatus, vitam infelix finiit anno MDXXVII.; Corpuſque in Patriam reſtitutum, ad Divi Joannis extra Portam vulgo *Del Calamo* nuncupatam, conditur hoc titulo, quem ſibi ipſe vivens fecerat

FRANCISCUS. CYNTHIUS
DE. BENINCASIS
EQUES. COMES. ET. VATES
VALETE. PRECOR. POSTERI
VOSQUE. PROCERES. PLAUDITE
AD. VOS. HONESTUS. REDEO
NATURÆ. SOLVENS. VINCULA.

Do

Quis finis jam cuique fuit, quæ vita: reponis,
  Qua ſit cuique die retribuendus honor.
Sicque tuum late ſparſiſti in ſæcula nomen,
  Hoc opus & poterit perdere nulla dies.
Augurор a Sixto dabitur tibi Mitra bicuſpis,
  Et tua nec fugiet plectra ſecundus honor.



De Epigrammate ſuperius relato, & a Cynthio ſibi poſito, teſtis eſt præter Saracenium in loco citato, Rev. Pater Magiſter Peregrinus de Lugo in Oratione habita coram Magnifico Senatu Anconitano & edita *Anconæ per Magiſtrum Bartholomæum Giraldum Vercellenſem* 1528. in 4. Ommiſſo pœnitus gentilitio nomine *Benincaſe*, ut plurimum Poeta noſter FRANCISCUS CYNTHIUS, non ſolum a Peregrino, ſed a cæteris denominatur: Ita etiam in Rhytmis Vincentii Calmetæ editis *In Venezia per Zorzi de Ruſconi* 1507. *in* 8. ſub nomine FRANCISCI CYNTHI ANCONITANI Carmina habentur. Forſan aliquando erit, ut de Poeta noſtro pluribus agam, & inedita Carmina ipſius in quodam Codice Vaticano [ qui erat, dum illum egomet vidi extra ordinem, abſque ulla numeri nota ) aſſervata, in vulgus emittantur. Qui interim de eo plura, adeant Valerianum, & Saracenium in locis citatis. Valerianus in Carminibus editis *Lugduni Sumptibus Pauli Frellon* 1621. *in fol.* ſic ait pag. 27.

*Ut fronte vidi Cynthium prima. Virum*
  *Tanto decore præditum*
*Formoſitate corporis, qualem Patres*
  *Phœbo fuiſſe prædicant*
*Illi putavi nomen ex forma inditum,*
  *Quę ſi referret Cynthium.*
*Ut culta legi ſcripta, verſuſque illius,*
  *Quales Apollo fingeret*
*Errore demum cognito, nunc aſſero*
  *Eum eſſe vere Cynthium.*

## JOANNES GEORGIUS CASSIANUS.

Quondam Niliaco ſuffuſi flamine Vates
    Nonniſi quod Sacrum eſt explicuere pii.
Theologos primos ætas hos priſca vocavit
    His quoniam Campus Theologia fuit.
Divitiis avidi declinavere, ſonantes
    Affectus Hominum claraque geſta Ducum.
Sic ſemota Deis meruit Gens improba Vatum
    Hactenus: en pietas carmine priſca redit.
Lazzarellus io ſuperis en plectra moveri
    Indicat: hic ludit religione prior.
In tribus hic unum cecinit, triplex & in uno
    Eſſe Dei Numen, Numina vana premens.
Hic cecinit Chriſtum veri jam Numinis undam
    Chriſticolumque piis Annua ſacra modis.
Eſt ſacer & Vates, & eo preſtantior illis
    Quos primeva dedit quoſve ſecunda dies.
Quo ſuperat vero priſcos pietate Minores
    Vatibus hinc cunctis hic celebrandus ovat.
Cive igitur natale ſolum hoc Septempeda gaude
    Hujus & exemplo quiſque Poeta mere.

PAM-

---

Georgio Cassiano homini tum plane docto, ac pereruditо, litteras dedit P. Bembus ſub nonis Junii MDXI, quæ extat inter Bembi Epiſtolas lib. v. pag. m 178. Hujus pariter meminit V. Clariſs. Franciſcus Antonius Zaccaria in Libro, cui titulus *Lettera ſopra alcuni Manuſcritti* inter Opuſcul. P. Calogerà T. 44. pag. 483. unde nil ultra hic de tanto Viro, cujus per Litteratum Orbem ſat virtutis extat opinio.

Temporis o noſtri Vates clariſſime carmen
Hoc noſtrum expleto perlege judicio.
Aſſurgit mea Muſa tuæ laudeſque perennes
Aſcribit tenui me jubilante lyra
Tu canis æterno Chriſti ſolemnia verſu,
Et memoras Sanctis ſacra, diemque ſuis:
Aſtrorum Motus ſignant ter quinque Libelli.
Quos bene preſtanti digeris ingenio.
Hinc tibi fama decus Numini nova gloria ſurget
Sic tu defunctus nomine vivus eris.



PAMPHILUM de quo hic ſermo; eundem eſſe reor, ac PAMPHILUM SEPTEMPEDANUM, qui in Patria quoad vixit, neminem honoris gradu ſuperiorem habuit. & Genti ſuæ nomen dedit. Caveant alii, ne ſuſpicentur hunc eundem eſſe ac FRANCISCUM PAMPHILUM eximium Poetam, cujus extat Carmen typis commiſſum ſub nomine *Picenum*, & multo minus GANIMEDEM, aut CYNTHIUM ejuſdem Gentis PAMPHILÆ Septempedanæ, omnes Poetas non ultimi nominis, tam vernacula, quam latina lingua, qui longe poſt LUDOVICUM LAZZARELLIUM in humanis fuere. PAMPHILUS, cujus extat Epigramma ad Lazzarellium, mihi videtur eſſe ille idem, qui a Franciſco Pamphilo nuncupatur *Avus*, unde ipſe inquit

*Pamphilus antiqui nomine dictus Avi*

Pamphilus hic claruit anno 1483. & collatis ſignis, pluries cum Patriæ hoſtibus dimicavit, ſi fides Franchio in Patriæ hiſtoria: unde plurimum litteris, & multo magis armis valuit. Nonnullis Piceni Populis pariter jura Prætor dedit; de die vero ejus obitus ſum neſcius, & ita pariter, quæ ſcripſerit ipſe, quæque alia ediderit carmina, penitus ignoro. Aliquando forſan erit, ut de noſtro Pamphilo pluribus ſcribam.

Currere quid ceſſas totum jam Muſa per Orbem
Ore Ludovici tam bene culta pio.
Criticus abjiciat calamos mihi crede ſeveros
Qum primum attigeris religioſa manus.

Bar-

---

Franciscus Camers (quem perperam Vadingus in Tom. viii. Annal. Minor. ex Spinula Gente ortum aſſerit) ex Gente Sperula apud Cameries notiſſima prodiit, & extitit Vir omnium elegantiſſimarum Artium tum græcarum, tum latinarum excultiſſimus. Vix duodecimum ætatis annum attigerat, quando ſeſe Bononiam contulit, ut Thomæ Senecæ Civi ſuo in Bononienſi Gymnaſio Rhetoricam docenti, operam daret. Humanieres litteras ita celeriter ingenii docilitate arripuit, ut eorum induſtriæ longo intervallo, præcurreret, qui multo maturius ſe ad id ſtudium contuliſſent. Peruſii facultatem interpretandi JurisCæſarei, ac Pontificii, quod ibidem didicerat, adeptus, in Patriam remeavit, & ampliſſimæ dignitatis in ſpem adductus, ad Urbem, ſe tranſtulit, ubi Patronos ſibi plurimos Principes Viros paravit, & præſertim Cardinalem Mediceum. Hos Auſpice ampliſſima Sacerdotia obtinuit. Primum Bhectonæ Archipreſbyter, deinde S. Leonis Epiſcopus in vicem Juliani Dati ſucceſſit die 18. Januarii 1525. ab Incarnatione. Corrigendi ergo erunt *Benignius* Hiſtor MS. Camerini, & *Jacobillius* Bibliot. Umbr. pag. 121. qui parum accuratè Sperulum ab Alexandro VI. Epiſcopum fuiſſe renunciatum aſſerunt. Abſens per Biennium Franciſcus S. Leonis Eccleſiæ præfuit, quam poſtea Anſelmo Sperulo, vel Nepoti vel conſanguineo ſuo dimiſit. Fuit Sperulus Orator equè, ac Poeta excultiſſimus, etiamſi a Giraldio De Poetis noſtror. temporum Dial. I. col. 542. = *Durus hic, & ſui judicii ubique* = appelletur: non ita vero ab Arſillio, in Libro de Poetis Urbanis, a quo Sperulus valde probatur, inquiens.

*Sperulus, eſt elegis cultus dum cantat Amores,*
*Arduus Heroum dum fera bella canit.*
*Nec minor in lyricis cum barbitos æmula Vati*
*Æolio molles concinit iſta modos.*

Si fides Giraldio = *edidit Sperulus præter Elegiarum Libros de amore Conjugali Epigrammata, & lyricos verſus compoſuit, & quæ imper-*

Barbarie, nugiſque procul nam ſancte fugatis
Feſta piis cantus concelebranda Viris
Jamque tibi cedent Peligni ſcripta Poetæ
Nam ſequeris vera religione Deos.



*perfecta ad hunc diem habet Cæſaris Borgiæ Valentini geſta; & Alexandri VI. Item Hominis Inſtitutiones, ab Infantia, & Matris, ut ait Lucilius, bulga ad ipſum uſque poſt mortem Statum, quod opus ille græca voce Antropographiam, vel antopædiam inſcribit.* Sperulus dum in Urbe majora captabat anno 1531. illuc deſiit eſſe Pridie Idus Julii, ſepultuſque quieſcit ad D. Honuphrii cum ſequenti Monumento

D. O. M.
FRANCISCI. SPERULÆ. CAMER. OB INSIGNEM LITTERARUM. PITIAM. VITÆ. MORUMQUE INTEGRITATEM. VARIIS. TERRARŪ. PRINCIPIBUS. GRATIOS. AC. DEMŪ. A CLEMENTE VII. PONT. MAX. AD S. LEONIS. EPISCOPATUM EVECTI. TEMPORARIUM. DEPOSITUM VIX. ANNOS. LXVIII. OBIIT. PRIDIE. IDUS JULII.

Typis cuſa habentur Franciſci Sperulæ *Carmina* in Coryciana pag. 9. 16. & 35. *Elegia de Virgine Deipara* in Ughellii Italia Sacra T. IX. pag. 114. *Oratio pro inita Pace inter Auguſtiſſimum Cæſarem Carolum, & Franciſcum Regem Chriſtianiſſimum* Romæ in Templo D. Mariæ, quæ de Populo dicitur An. 1526. VI. Idus Martias habita. *Oratio habita in Pontificiis Sacris Clementis VII.* ob memorabilem Cladem, quam Impii Tartari auſpiciis Sereniſſimi Sigiſmundi Regis a Polonis nuper acceperunt. Hæ duo Orationes ſejunctim Typis cuſæ habentur abſque nota loci, anni vel editoris in 4. In Bibliotheca Vaticana extat inter Codices MSS Codex membranaceus in 8. pagellarum ſexdecim, obſignatus numero 5812. continens Franciſci Sperulæ Poema quoddam cui titulus. *Villa Julia Medicea Verſibus fabricata ad Revendiſſ. D. Julium Medicem S. R. E. Card. Cum Epiſtola dedicatoria, in qua appoſitus eſt dies Cal. Martii a Servatoris noſtri Natalibus Anno MDXIX. Romæ.* Franciſci Sperulæ meminerunt Lilius in Hiſt. Camer. Par. 2. Lib 5 Jacobilius Biblioth. Umbr. pag. 121. & alii quamplurimi primæ notæ Auctores.

# JOANNES ALBINUS LUCANUS.

Sulmo docta ſile celebrat Septempeda Faſtos
Natalesque Deum, quos pia Turba dedit.
Quæ cecinit quondam Vates tuus: illa quid ad nos?
Hic pietas: ſanctæ hic Religionis honos.

CAN.

---

JOANNES ALBINUS Noſter differt ab altero Joanne Baptiſta Albino, qui Florentiæ ortus, in Puteo ſuffocatus obiit, de quo Valerianus in Libro de Infelicitate Litteratorum Lib. 1. pag. 313. Albinus, cujus Carmen ſuperius habes, natus in oppido vulgo Caſtelluccio in Diœceſi Capacci in Lucania, Albinus Lucanus denominatus eſt. Antonio Panormitæ, & Joviano Pontano ſedulam dedit operam, tantiſque Præceptoribus uſus, ſtudio, & artibus magnum ſibi peperit nomen. Extitit Is Abbas Commendatarius Sancti Petri vulgò *del Piemonte di Caſerta*, nec non Abbas Sancti Angeli a Faſinella: Alphonſo II. Ferdinandi Filio Calabriæ Duci in primis cariſſimus, omniumque horarum Domi, militiæque comes, tum gravioribus illius pacis, bellique negotiis, tum privatæ Bibliothecæ unus omnium, qui tunc Regia in aula verſabantur, Præpoſitus fuit. Iſtius meminit Sanazarius in Lib. I. Elegiarum num. XI. Cart. 188. Edit. Comin. 1731. in 4.

*Et qui Pieriis reſonat non ultimus Annis*
*Albinus referat Principis acta ſui*

Scripſit de Bello Regum Neapolitanorum, & Comes Alphonſi Regis, bella quæ ſcripſit, antea & ipſe dimicaverat. Liber rariſſimus hunc fert titulum = *Johannis Albini Lucani de geſtis Regum Neapolitanorum ab Aragonia, qui extant Libri IV. Neapoli per Joſephum Cachium* 1589. *&* 1594. *in* 4. De eo loquitur Taffurius *Storia degli Scrittori nati nel Regno di Napoli* Vol. 3. pag. 373. Ex Collectione in unum Corpus omnium Librorum, qui in Nundinis Francofurtenſibus ab Anno 1564. uſque ad Nundinas Autumnales Anni 1592. Venales extiterunt, Francofurti ex officina Typographica Nicolai Baſſei 1592. in 4. accipimus qualiter editi fuerunt, prout ibi in pag. 580. = *Joannis Albini Poematum Libri II. Lipſiæ* 1591. in 8.

# CANTALYCIUS

## AD LECTOREM.

Peligni celebres faſtos legat ille Poetæ
Cui nondum Chriſti proluit unda caput:
Hunc vos Chriſticolæ ſitientes pergite ad Amnem:
Hoc licet ardentem fonte levare ſitim.
Ficta Meduſeæ non hæc umbracula lymphæ,
Non hæc Caſtalius jugera rivus obit.
Non furit hic Niſæ, furit hic non Incola Cirrhæ:
Non hic fatidicæ Phæbadis antra ſonant.
Non hæc ſacra tenent pimpleides arva Sorores:
Non canit hic Steriles Collis hamadryades:
Non hic Saturni veteris ſolemnia cernes:
Non hic templa levis vana lupercedetes.
Non hic dependent Saliorum Ancilia collo:
Non hic certa ſibi Feſta Quirinus habet.

Non

---

BABTISTA CANTALICIUS perperam Sabinus ab Ugellio in Italia Sacra appellatur; nam Cantalicius dictus eſt, eo quia ortum habuit in Oppido Aprutino, vulgo *Cantalice*, nuncupato. Is pluribus in Civitatibus Pueros bonis artibus erudiit tempore Alexandri VI, qui Eum Aloyſii Nepotis Præceptorem conſtituit, cum & politiſſimæ in Ipſo litteræ eminerent, quæ ab humanitate nomen ducunt, & quæ recondita in arte, ſummaque rerum in obſcuritate verſantur. Ex Canonico S. Mariæ in Via lata, prima die ineuntis Decembris an. 1503 Epiſcopus Pinnenſis, ac Adrienſis eſt renunciatus, interfuitque ſub Julio II. Lateranenſi Concilio. Aloyſio ejus Diſcipulo cariſſimus vixit, a quo Valentini Cognomen & gentilitium Stemma accepit, non ſine Pinnenſium, ac Adrianorum lacrymis deceſſit ann. Dom. 1514. Qui de eo plura, adeat Vitam, quam ſcripſit, ediditque Offridutius, Ancha-

Non hic Paſtorum ſervata palilia fumant;
  Non hic Arcadici Numinis Ara calet.
Sed licet his veros depromere fontibus hauſtus;
  Et vero immundas ſpargere rore manus:
Hæc reſonant illum tibi Sancta Volumina Solem
  Gratuita cujus morte redemptus homo eſt.
Quæque utero felix concepit Filia Patrem
  Intacta ſemper Virginitate Parens.
Atque ſuo Eccleſiam qui plantavere cruore,
  Quæque ſui meritum ſtemma pudoris habent.
Quique iter ad leges veteres fecere docendo
  Perque Inſtrumenti myſtica verba novi.
Denique quidquid habent Divorum Regia Cœli
  Edocet hic recto calle movere pedem.
Reſpuis: & terræ ducis per inania mentem
  Plenaque quiſquiliis pectora Lector babes:
Eſt qui de Terra Terram loquiturque ſapitque
  Verba Dei ſed tantum qui ſapit ille legit.

Vale

FA-

chajanus Spoletinus ad Calcem Expoſitionis Officii Beatiſſimæ Virginis, ab eodem Cantalicio exarata, ubi pauca de Baptiſta, plura de Familia Carluccia, comprehendet. Vita ab Ancajano exarata, prodiit Viterbii per Petrum, & Auguſtinum de Diſcipulis 1618. in 4. Cantalicius *Hiſtoriam Magni Ducis* edidit, quam in vernaculum Sermonem vertit Sertorius Quattromannius Patritius Conſentinus. *Rudimenta Grammatices* pariter ſcripſit, necnon *cultiſſima Carmina*. In Vaticana Bibliotheca inter Codices Urbinatenſes num. 718. extat, *Cantalicii Epiſcopi Pennenſis ad Guidum Urbini Ducem de Geſtis, & moribus Friderici Patris ejuſdem Guidi* Carmen. Codexex eſt in pergam. antiqua in 4. Char. ſcri. 47.; Et inter dictos Cod. num. 719. Ejuſdem Cantalicii *De geſtis Friderici Ducis Urbini Carmine Vario*. Codex ex Papyro in 4. cum Epiſtola Char. 35. pariter hdbetur.

## FABRITIUS LAZZARELLIUS

### EPITAPHIUM LUDOVICI.

Sum Ludovicus paulum hic nunc ſiſte Viator
  Hac Lazzarellus ſede Poeta jacet
Si Patriam queris, Septempeda, clarior extat
  Piceni, & Patrii clarior ille Loci.
Vivebam: nunc ſum ſine ſanguine triſte Cadaver,
  Non habet officium frigida lingua ſuum.
Spiritus in Cœlo eſt: ſolum hoc te ſcire volebam:
  I ſequere: & ſortis ſæpe memento tuæ.

FA-

FABRITIUS LAZZARELLIUS Ludovici Nepos a Hieronymo Phyſico eruditiſſimo, & Patre ſuo cum litteras didiciſſet, variis in oppidis & ipſe medicinam fecit. Fuit ſui Ævi Poeta non indiſertus, & plurimum vernaculo ſermone pollebat. Ludovici Lazzarellii Patrui ſui Vitam exaravit vulgari ſermone, cujus meminere ſæpe prelaudatus Pater Bernardus Gentilius, necnon Ruelejus, & Boccolinius in notis ad Quadriregium.

# FABRITIUS VARANEUS PRÆSUL CAMERS.

Qui veteres adamas tantum relegiſque Poetas
Vatibus ingenium credis abeſſe novis
Qui ficta ante Annos niſi priſca volumina mille
Nulla legis Cereres dat tibi ſola fidem.
Perlege faſtorum poſito livore libellos
Qui vere titulum Religionis habent.
Quos dedit ille meus Vates, Septempeda, Cive
Quo potis in Cœlum eſt exeruiſſe caput.
Ingenium noſtris dices non deeſſe Poetis,
Et fore judicio, quæ nova ſcripta probes.
Et licet addictus tota ſis mente vetuſtis,
Concedes Veteres cedere poſſe novis.
Vincere materia non inficiabere noſtrum,
Et rerum, & ſerie carminis ire pares.

EJUS-

Fabritius Varanius ex Rodulpho Camertium Dynaſte, & Camilla Eſtenſe liberalibus diſciplinis pluſquam Imperio natus; ab Ughellio in Italia Sacra Tom. 1. col. 655. mendoſe Herculis Filius, & anno 1506. mortuus. dicitur. Vir iſte, quoad vixit, in ſtudiis verſatus eſt, Doctiſſimis Præceptoribus uſus, & præſertim Ludovico Lazzarellio Septempedano Poeta laureato, cujus laudes his Epigrammatibus cecinit. In Sacris litteris maxime eruditus, Philoſophia, Juris ſcientia, omnibuſque liberalibus diſciplinis pollens a Sixto IV. antea Prothonotarius, deinde an. 1482. Camertium Antiſtes, renunciatus fuit. Hoc munere fungens ſemper erat omnium Camertium in deſiderio, moriensque die 7 Martii an. 1508. in Oppido Fabriani, Diœceſim univerſam in fletum adduxit. De Eo laudes canunt laudati Viri Marcus Muſurus, Rodulphus Iracinthius Theramanus, Maccarius Mutius, ali-

Digitized by Google

## EJUSDEM

### Ex Codice penes Canon. Mattheuccium.

Nunc celebrare facit conſumpti nomen Homeri
    Ilias: Eneis Virgiliumque refert.
His ſimilis; nomen pereat ne luce ſuprema
    Dulcibus ordiris annua feſta modis.
Laude opus id dignum. Tu dignus nomine Vates,
    Qui mentem haud vanis inclyte rebus alis.
Altius

---

aliique non ultimi nominis Poetæ. Præter Ughellium in Italia Sacra T. I Sermonem de Fabritio habuere Lilius in Hiſt. Camer. Part. II. Lib. VIII. pag. 273. *Jacobil.* Bibliot. Umbr. pag. 101. & *Canon. Turchius Pyranus* mihi amicitia conjunctiſſimus in erudito Libro, cui titulus, *Camerinum Sacrum* pag. 277. Litteris græcis, & latinis valde verſatus Diatribas in Auſonium, Ovidium, & Solinum, aliosque Auctores edidit, quos labores Mariangelum Accurſium ſibi tribuiſſe, nonnulli ferunt; quapropter Accurſius Plagii poſtulatus, crimen illud a ſe removit, hoc concepto Jurejurando „ *Quod Dii hominiſque fas fideſque audiat Sacramenti Religione, & ſi quid eſt Jurejurando ſanctius affirmo, idque ritè pariter ac ſine dolo malo dici, cæteriſque accipi volo, me nec ullius unquam ſcripta perlegiſſe ac ne conſpexiſſe quidem* „ prout habemus penes Fabritium Bibliot. Lat. Tom. 2. pag. 92. Edidit pariter Librum *De Romanæ Urbis vetuſtate. Bononiæ apud Hieronymum de Benedictis* 1520 in 4. Joannes Baptiſta Pius Joanni Mathæo Giberto Libellum dicavit Edidit etiam plurima *Carmina Latino ſcripta ſermone*, ex quibus factum eſt Numiſma ſibi a nonnullis ex ære fuſum fuiſſe, in quo in una Imago, ac Fabritii Nomen: in inverſa vero Parte, Euterpecum nomine græce ſcripto, & hoc carmine.

*Delectans calamos dulciter ore ciet.*

Antonuccius Romæ Numiſma hoc ære incidi curavit, ut Lilii Hiſtoriæ Camerinenſi adjungeretur, hodieque typus extat penes Do-

Altius extollent tanto te laude minores;
Materia quanto clarius extat opus.

---

Dominus Pierguſtinius Camertes. Fabriani Fabritius ſupremum obiit diem anno 1508 Nonis Martii, Corpuſque Camerinum delatum, hoc Epigrammate contectum eſt.

FABRITIUS VARANUS EPISC. CAMERINI
FRATER PERGENTILIS VIR IN SACRIS LITERIS MAXI
ME ERUDITUS PHILOSOPHIÆ ET LEGUM SCIENTIA
POLLENS QUI ECCLESIAM CAMERINENSEM
OPTIME GUBERNAVIT OBIIT AN. MDVIII.

*.... Ubi plura nitent in carmine, non ego paucis*
*Offendar maculis, quas aut incuria fudit,*
*Aut humana parum cavit Natura .....*

Horat. de Arte Poetica.

Digitized by Google

# LUDOVICI LAZZARELLI
# SEPTEMPEDANI
# BOMBYX
# AD AN. COLOTIUM
# HONESTÆ INDOLIS
# PUERUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

COmmoda carminibus caſtæ tutela Minervæ
Eſt mihi materies fæcundo corpore Bombyx
Arctum opus eloquio: non arctum ſenſibus: & quod
Tempore vix longo ſtudioſa mente legatur
Divi Hominis Chriſti cum myſtica facta figuret.
Nunc mihi tu ſtudia, & mores refer, optima Pallas
Quos illi inſpiras, Summi Sapientia Patris,
Nate Deus, quem mente colo, quem carmine canto.
Nempe Palingeneſis latet hic velamine ducto:
Nec non conjugium Verbi: partuſque Deorum.
Ut rerum natura omnis tua fertur Imago,
Omne tibi rerum nomen: facis omnia ſolus,
Omnia & in te unum referuntur imagine vera.
At tu ſydereo certa Puer indole Cœlo
Illature caput: modo ſi creſcentibus Annis
Aſpiret fortuna: libens hos accipe luſus
COLOTI: lege ſollicito mea carmina viſu.
Conde Animis: ut quom matura increverit ætas
Mittenturque nuces: ad Summi Regna Tonantis
Extollant ſenſus levium hæc ſpectacula rerum.
Occiduo Zephirus cum perflans lenis ab orbe
Depulerit gelidæ torpentia tædia brumæ:
Et florum vario diſtinxerit arva colore:
Tunc Bombycum aderit tempus: ſubmittere Virgo

Jam poteris blando tunc ova fovenda calori
Pectoris. ante tamen Sol occupet ipſe juvencum
Occidat ante ſuis redimita Canicula flammis.
At neque Signorum facies, nec Sydera Cœli
Sunt tibi nota ſatis, certum mage ſuſcipe Signum
Ut primum medio de cortice mittere gemmas
Oblita Thysbeo de ſanguine ceperit arbos
Ceperit & tunicis promittere pabula ruptis:
Tunc erit apta dies. ſed nec tibi tempora lunæ
Spernenda: illa quidem totius Nuntia Cœli.
Temperat hæc ventos, hæc temperat æquoris undas:
Imperium hæc humoris habet: ſunt cuncta ſub illa
Quæcumque in terris vegetant: ergo illa ſequenda.
Quom primum coitu ſeſe demoverit: & quom
Ceperit abſentis converſa reſumere Fratris
Lumina: conde ſinu numeroſi ſæmina fœtus.
Tertia conſortis Sobolem lux ſuggerit ovis
Adde ſuas frondes ut Nati pabula carpant.
Contemplare tamen mores, pariterque colorem:
Si niger eſt, epuliſque vacant in fronde coacti
Optima ſpes fuerit: nec re fruſtabitur; at ſi
Pallentes a fronde vagos, ſparſoſque videbis:
Proice: ne impendas longum, caſſumque laborem.
Sunt horum multæ ſpecies, ſunt ſemina multa:
Quæ ſcribenda aliis poſt me dimitto Poetis
Si quos tanget Amor vacui vel cura laboris.
Se res habentque ſuas ſpecies [hinc ſerica fila
Dicuntur] retinetque Sacer ſua ſemina Nilus:
Atque aliæ Gentes quarum ſunt nomina mille.
Gaudet & ipſa ſuo populoſa Hiſpania fœtu:

Quae

Quæ nervoſa magis jam ſerica ſtamina mittit.
Hæc ego pretereo: non huc mens aſpicit ardor.
Si Boreas gelidum facit aera, claude feneſtras,
Atque focum juxta tepidum Cunabula Gentis
Conſtitue exiguae: majori corpore poſtquam
Increvit populus, trabibus compone ſalignis
Plena foraminibus Caſtella: hinc ordine ſuprà
Colloca arundineas cunabula, commoda crates.
At Formicarum cuneus procul abſit avarus:
Qui perimit parvos: prægnantia ſugit & ova
Spem Subolis numeroſae: igitur diſpone Cuminum.
Formicae intereunt, tectis fugiuntque relictis.
Æmula palladiae procul abſit Aranea dextrae
Palladium pecus exanimat quae morſibus atris:
Verre omnes Muros, & inanes deſtrue telas.
Et criſtata cave tua ſepta perambulet Ales.
Omnia. nam pedibus conculcat, & omnia roſtro:
Claude aditus: occlude fores, occlude feneſtras.
Attamen ante omnes longe Mus noxius abſit.
Nanque vorat late, ſaevoque exenterat ore:
Viſcera diſpergit, quibus inclyta ſtamina ſurgunt;
Saepe etiam ſolet intextas male rodere telas:
Spemque adimit: magna hinc ſurgit jactura Puellis.
Proptcrea quidam laetalia toxica ponunt
Non tamen id moneo, ne tœdia forte redundent
In caput iſta tuum: ſunt fraudum vincula mille
Tende arcus, caveaſque, & caſſes tende latentes:
Verre domum: confecta occlude foramina calce:
Omniaque amotis averte latibula lignis.
Saepe etiam prodeſt quoſdam praetendere fumos.

 Quos

Quos inter: ſi ſcire vacat: miranda docebo
Extrahe tu Succos, & Scillæ vitis, & Albæ
Boraciſque; bibax ubi tutia juncta liquori eſt;
Fumus ab his ſurgens mures ſimul aggregat omnes
Quos capies, perdeſque ſimul ſi perdere mens eſt.
Sed decet ad Curas Gentis redeamus alendae.
Principio foliis opus eſt nutrire tenellis,
Dum tener eſt populus: folia at creſcentibus illis
Suggere dura magis; ſummas ne collige frondes
Arboris in ſummis quas cernis creſcere ramis.
Jam ter paſce die: ſed dum tibi parvula Gens eſt
Simpliciter proſterne cibos: cum creverit, alte
Accumula, & rari jaceant in cratibus altis.
Nanque magis creſcunt, diſtentaque corpora gaudent.
Non aeſtum aut frigus, verum interutrumque Puellæ
Concupite æſtatem: pluvias, & caumata frenet
Omnipotens reddit nam ludicra pluribus imber
Pabula: cauma urit rabida rubigine frondes
Virgo cave, tales epulas apponere turbæ.
Dant vitium, morboſque parant, & triſte veternum.
Si pluviis madidas frondes perſtringere oportet:
Sparge domo, donec non utilis areat humor.
Si brevis inciderit ſubitis e nubibus imber,
Mox Solis feriat radius, rubigo virentes
Inficit exoriens maculis pallentibus herbas
Depopulanſque agros, naſcentia ſemina perdit.
Id metuens quondam deluſa errore vetuſtas
Vana miniſtrabat ſacra rubigalia Romæ.
Heu fuge tam vanos ſat crudela fæmina ritus
Tu Verbi omnipotens divini Numen adora.

Et

Et tamen infectas refert ſecernere frondes:
Si calor excedat: Si ſicca excandeat æſtas:
Proderit antiquo, & fragranti fundere vino.
Non tibi det Chios hoc, non Crete, non tibi Lesbos;
Nec fundenda ſuper poſcas tibi vina Phalerna.
Det Patria antiquum, & ſuavem *Septempeda* Bacchum
Quæ centum Autumnis ſervat dolia humida cellis.
Silvarum nulla eſt quæ frondes germinet aptas:
Non pyrus, aut malus, non populus Herculis arbor,
Non laurus Phæbi, Veneris non Myrtus odora.
Non reliquæ, quarum ſcripſiſſe haud nomina refert:
Nulla oritur paſſim Campis quæ nutriat herba.
Sola Arbos Thysbes mirandæ accommoda Genti,
Naturæ aſſimilis: nam ſicut ſtaminā Bombyx
Ore vomit fundens, eadem hec quoque ſtamina frondes
Intus habent: contunde manu: tum diſtrahe: cernes
Fila relaxari: res ergo ſimillima nutrit.
Quantum illos audire juvat dum pabula rodunt
Quantum illos audire juvat dum ſtamina ructant.
Frondentes inter ſilvas velut obſtrepit imber:
Ut ſolet exiguo decurrere murmure rivus:
Utue cadens vitrea reſonat fons lucidus unda:
Sic crepitant: ſonitu ſuadent mulcente ſoporem:
Tunc mihi contingat lecto dormire propinquo:
Dum tamen incolumes vivant: nec morbus odorem
Inquinet: & putri corrumpat corpora tabo.
Dum paſcis, dum plena regens cunabula mutas,
Nec turbes illis ſomnum: turbata redibit
Nunquam prima quies: hin multa ſurgere morbi
Labe ſolent: comedunt nimium: diſtentaque pellis


Lucet

Licet, & abrupto ſaniem de ventre remittit;
Videris at ſi quos ſe non ſubmittere ſomno,
Et procul a requie fieri, quos lucida pellis
Turgidaque ambierit, vel qui lactente liquore
Sparſere objectas ad commoda pabula frondes
Et contracta nigrum monſtrant imitantia vitrum
Ora: nec inſiſtunt foliis, paſſimque vagantur
Continuo vitium vigili compeſcere cura
Te decet incautum mala ne contagia vulgus
Contrahat: amotos ſcobis inter projice ſordes
Inficiant aliis fluido ne pabula tabo.
Nulla medela illis, multum eſt quod proſit & unguen
Cura cavere aliis ne labes noxia ſerpat.
Jám quater, ut certum eſt, ſeu ſomnum ſive quietem
Accipiunt: quater & ſpoliis renovantur ademptis.
Signa tibi refero. Primum liventibus ora
Inſtar ſcutorum maculis obducta videbis.
Tum lucent, turgentque ſimul: tum corpore toto
Immoti jam pene rigent: obſtipaque cælo
Colla levant veluti languentes Pallada clament;
Tertia Phœbeis ubi lux eſt orta Quadrigis
Exuvias ponunt veteres, & pelle recenti
Luxuriant, ſurgitque habilis vigor undique membris
Atque alacres rodunt virides ſua pabula frondes.
Quælibet ergo ſuum retinet mutatio nomen.
Prima colore nigro nomen capit: altera ab albo:
Nam primum nigra eſt tum forma ſubalbida ſurgit
Dat ternæ apparens in dorſo littera nomen.
Vidi ego qui ſenis ferrent hæc grammata nodis
Uſque imam pictos a ſummo vertice caudam
Alpha

Alpha duplex: c.ɔ grande duplex, geminumq. ferebant
X græcum: Summi auguſtiſſima nomina Chriſti
Et ſimplex c.ɔ grande prius: dehinc Alpha gemellum;
c.ɔmega tunc iterum diſtinguens terga videtur:
X geminum extremam præcedit denique caudam;
Dat quartæ eſuries nomen. tunc pene voraces
Vix unquam explentur: folia ipſa injecta frequentes
Accumulata vorant: vix norunt parcere ramis.
Septima lux illos explet: ſaturoſque videbis
Ore gerunt ſtamen ſemper: Mutatio quarta
Filum adimit: nec reſtituit ni tota recedat
Eſuries † tunc colla levant † tunc fila remittunt
Electro ſimiles: purgato & corpore lucent.
Rictibus explorant tenſis extrema per ipſa,
Tecta ubi contexant ſupremæ commoda ſorti.
Tunc vites opus eſt ſeu quernos ordine ramos;
Vel potius ſiccas diſponere rite myricas:
Et bene diſpoſitis purgatos ponere ramis
Viſcera nent, & nendo vomunt: texuntque vomendo
Se circum inſtantes Ovi ſub imagine tectum.
Sunt qui albam, ſunt qui croceam, ſunt quiq. rubentem
Subviridem quidam contexunt ſtamine telam
Subviridis color ante alios laudatur in illis.
Ante tamen croceo ſunt æmula viſcera gummi;
Succina populeis velut eſt gemma aurea ramis.
Jamque locis variis diverſa exordia ſumunt.
Denique idem faciunt: operi datur una figura:
Sæpe duo unanimes tela clauduntur in una;
Fœmina maſque ſimul communia tecta volentes:
Viſceribus ſibi ſponte domos ſibi ſponte ſepulcra
Ædi-

Ei Cod. O grande
" " gummo

Ædificant, factiſque ultro moriuntur in Antris
Unde iterum ſurgunt: ſurgentibus altera forma eſt
Papilionis habent ſpeciem, ſed corpore craſſo:
Cornibus & binis hirſuto: imitantibus arcum.
Bina ſupercilia: atque oculi ſunt fronte gemelli.
Alati exiliunt per facta foramina buſtis,
Quæ modo condiderant; non ultra pabula curant:
Non ultra eſuriunt: curæ eſt iis ſola voluptas
Gignendæ Sobolis: veluti mos ipſe Catellis
Sic coeunt: vinctique diu ſolvuntur: & ova
Millia parturiunt venturæ ſemina prolis,
Quæ tandem ut pariant alium ſervantur in Annum.
Ante ſed adſcenſum quæ ſint ſi tempora poſcas,
Eſſe quater denas ſervavi ab origine luces.
Ni partum cibus impediat, vel frigidus aer
Quem numerum noſces ſi Sacra Volumina volves
Eſſe Prophetarum, quorum myſtica facta gerebant
Hoc Moſes: hoc Elias: hoc uſus & Eſdras:
Hoc numero ipſe Tabor nituit ſub vertice Jeſus.
Hunc quoque poſt numerum non illi fercula curant,
Sed ſaturi mox aſcendunt, & ſtamina ructant.
Hinc templa ornantur, hinc facta veſte Sacerdos
Quottidie ante aras offert ſua Sacra Tonanti.
Hinc Reges, cunctique Duces: hinc nobilis omnis
(1) Turba Puellarum texto decorantur amictu.
Splendidus ornatus, varius datur uſus in illis
O mirandum Animal: o nunquam cognita vulgo
Signa renaſcentis vitæ: quom in prima redibit
Pabula defunctæ metuet nec ſpicula mortis
Verus Homo: cum monte Tabor ſplendeſcere corpus

Avita

Avita abſortum cumulata luce videbit: (1)
Surgite Terrigenæ Bombycum exempla ſequuti.
Sæcla ſupergreſſi pereuntis quatuor orbis (2)
Intrate æterni radiantia mænia Regni
Induite en quae vos portent ſuper æthera pennas:
Primaque diſcedat ſpecies: ne corpora ſerpant.
Sumat Avis pennas cui mos eſt ſerpere Bombyx
Linquite corporeos ſenſus: mens candida regnet.
Serpit humi ſenſus: ſed mens ſuper æthera tranat.
Sancta Palingeneſis vos complectatur; & orti
Rurſus humo Cœlum penitus penetrate relicta
Anguipedes per humum ſinite obreptare Gigantes.
Vos Ganymedeos ad Cœlum regia pennis
Tollat Avis pueros: ubi cum Jove ſecula juncti
Manna ſacrum, Panem Superum, fonteſque perennes
Sufficite æternæ vivacia ſemina vitæ.
Gignite divinam repetito [illegible]
Quo pacto id fieri poſſit, mox forte docebo
Hic gradus Æthereo primus ſtatuatur Olympo:

F I N I S.

Carmen hoc LUDOVICI LAZZARELLII Septempedani dedimus ad exemplar antiqnæ editionis in 4. abſque nota anni, loci, vel Typographi, ſervata penitus Ortographia, quæ in edito Libro habetur.

(1) [illegible] Tabro
Verus homo ut cum monte Tabor [illegible]
[illegible] coeli cumulato lumine vidit
(2) Tot praetergressi pereuntis saecula mundi

Digitized by Google

*Ex Codice penes me, & ex altero Codice cartaceo in 4. penes Clariſs. Virum Nicolaum Mattheuccium ex Nobiliſſimo genere de Mattheuccis Marchionibus S. Georgii, Firmi ortum, & ad præſens Canonicum Septempedanum Virum & litteris, & comitate ornatum.*

### Poeta ad Thaliam Musam ut Gallorum Regem Karolum adeat.

I mea Gallorum Regem pete Muſa verendum,
Qui tenet a magno nobile nomen Avo.
CAROLUS hic fertur Pipini aucturus honores
Militiæ & Pacis commodus officio.
Huic Clipeum Mavors, huic præbuit Ægida Pallas;
Hunc Maja genitus muniit arte ſua.
Arma Caledonii Regis tenuere potentis
Dum Britones dotis fœdere Marte domat.
Hunc quoque victorem multum timet Auſonis ora,
Dum majora ſuis viribus arma videt.
En horrenda jugi ſuperavit clauſtra nivalis,
Alpinas potuit jam ſuperare nives.
Jam neque Junonis diras juratus ad Aras
Annibal Auſoniis ſic trepidatus erat.
At tamen hic placido populos fovet ore, ſubactos
Fœdera non violat; ſed placet alma Fides.
Inſubres, Ligureſque jugum ſubiere volentes,
Territa nunc illi Tuſcia tota ſubeſt.

Ro-

Romuleuſque illum Tybris ſuperatus adorat,
Et veluti Dominam Terra latina colit.
Parthenope hunc trepidat, potius devota precatur
Protinus admoveat quo ſua Caſtra bonus,
Campani hunc, Brutiique vocant, & Japigis ora;
Victorem hunc optat Prætutianus ager.
Quæcumque oppoſitam citra jacet ora Pelorum
Hunc cupit, huic nemo ſubdere colla negat.
Hunc procul ignifero Regem cupit Ætna camino,
Trinacris, & gemino terra coacta mari.
Hunc cupit inarime tellus impoſta Typheo.
Quis renuat Regi ſubdere colla pio?
Huic ſincera caput mens incolit æthere labens
Non oblita ſui provida principii
Hic jecoris flammas moderatur cordis, & ignes,
Nulla ira hunc ſuperat, nulla cupido domat.
Ipſe ſui primum Secretam pectoris aulam
Rex regit, in populos tum ſua ſceptra locat;
Nam dedit huic Regni comites mens alma Sorores
Quattuor: his junxit tres pia religio.
Regni commiſſas his conſultricibus oras
Temperat: his ducibus ſidera ſumma petet.
Nulla ſub hoc virtus fortis neglecta favore
Paupertate jacet: ſed ſua dona capit.
Debita nequitiæ poſuit ſua frena: revixit
Virtus, cui merita ſorte jugatur honor.
Exhibet hic gratas precibus placabilis aures,
Confeſſus Regem gratus in ore decor.
His ſpeculans Mundi quam ſit pulcherrimus ordo
Summa ut muneribus inferiora levent.

Ut

Ut ſine Cælorum radiis quæque ima carerent
Faetibus: ut nullis herba vireret agris.
Jam pietatis opus ſubjecta in pectora fundit,
Diſpenſatque pii pectoris officium.
Hic ſolet Aonias attollere honoribus artes
Nec ſinit ingeniis currere tempus iners.
Hic pius in Superos Sanctus partitur honores
Verbigenæ multum fidus amanſque Dei
Hic Turcas fidei contundere præparat hoſtes.
Vibrato hic Chriſti ſuſtinet enſe fidem.
Ergo ſua hunc Bizas, Salomonque expectat in Urbe,
Gaudet & huic Regni credita ſceptra ſui.
Dicere longa mora eſt, pugnata ex ordine bella
Illa mihi heroa forte canenda Tuba.
Ante pedes igitur Regis procumbe potentis
Hos illi inſcriptos trade Thalia Libros
~~Jam mihi libranti, potius cui forte dicarem~~
Dignior hac potuit Regia nulla dari.
Præſidium hic ſacra fidei, & tutela labantis
Conveniunt ſacro munera ſacra Duci.
Illum ubi comperias ſi me mea Muſa rogaris,
Incertum eſt: victor nam ſua fata premit.
I ſequere intrepidum ſua per veſtigia Regem,
Te ducet recto tramite ſancta Fides.

### Responsio Thaliæ.

Quone tuam Vates quæris me mittere Muſam?
Fluminea heu cartas diluet unda tuas.

Aut

Aut præſtabo togas venalibus, aut tua tandem
Carta puellares veſtiet apta colos.
Quot mihi naſutos occurrere maeſta videbo,
Optabo ò quoties jam revocare gradus.
Si tamen omnino mens haec tibi perſtat, adibo
Ne mihi ſuccenſe ſi tua ſcripta cadent.

### Poeta.

Mœſta verecundis quid tantum paſſibus haeres
Invidiae dentem quid mea Muſa times?
Te te ad quem properas Rex ipſe tuebitur, in te
Invalidum cornu Rhinocerotis erit.
Sed ſi forte aliquo fueris violata veneno.
Si pretium radet lurida lingua tuum.
Subſtineas. tandem tibi praemia digna reſurgent,
Gratius emergunt quae latuere faces.
Inter vos placidam componet denique pacem
Mors mea, poſt cineres laude fruere meos.
Invidiae mos eſt viventum carpere laudes,
Et praeferre novis qui periere Patres.
Livor edax claros viventum mordicus actus
Diſſipat in vivos judiciumque tegit.
Odit Virgilium, Vatem nec amovit Homerum
Naſonem potuit nec ſua ferre dies.
Hi tamen egregia nunc laude per ora feruntur.
Major ab eſequiis Vatibus ortus honor.
Auguror & noſtris (animo confido) libellis
Grata, aliquod tribuent Secla futura decus.

CA-

CAROLE qui tantum cognato a ſanguine nomen
Ducis Avi, quo non inferiora geres.
A quo conſpicuum nomen deducis Avitum,
CAROLUS adjecto nomine MAGNUS erat:
At tu perpetuo diceris Maximus evo
Res ſummas ſummo nomine dignus agis.
Salve, quem meritum veneratur Gallia Regem,
Itale cujus avent, regna ſubeſſe jugo.
Me meus huc Vates vigilatos ferre libellos
Præcipit: hic vovit nam ſua plectra tibi:
Ante pedes igitur ſacros figo oſcula terræ
Rex tibi non modici trado laboris opus.
Te Perſona triplex triplicis ſub imagine libri
Orbe capit latio, Carole tende manus.
Præcipuam veluti Sobolem te amplectitur ulnis
Bis ſeni hinc venient turba verenda Duces.
Mox thronus & medio nitidus ſtatuetur in orbe
Librabit Judex omnia lance pari.
Cum multos pridem convivia ſancta vocarint,
Tu ſolus menſæ dignus honore ſacræ.
Solus es ethereis epulis accumbere dignus
Accipe Manna ſacrum nectar, & ambroſiam:
Hoc lætum auſpicium, fælix hoc protinus omen,
Suſcipe verbigenæ maxima cura Dei
Priſca canant alii Vates, & ficta ſequantur.
Hic digeſta Deo tempora ſacra leges.
Cuinc ducum cedant potius hæc carmina dono
Quam tibi, qui Chriſti es religione pius.
Hic pete præcipuam ventura in ſæcula famam,
Hoc poteris ſemper Rex ſupereſſe libro.

Quæ

Quæ non Pieria Vates, muniverat arte,
Fortia facta ſolet longa abolere dies.
Marmoribus ſculptæ non poſſunt illa figuræ
Ne pereunt fixis firma tenere notis.
Non bene ſculpta tamen diſtinguunt marmora laudes,
Non bene Apelleus exprimit acta color.
Inclita venturis ſed facta Nepotibus addit
Per chartas ducta littera preſſa manu.
Sculptilibus ſurgant ſi mille Palatia ſignis,
Firmius emanat Vatis ab ore decus.
Deficit illuviæ ferro, preda, igne, ruina
Quæ patitur ſculptis gloria marmoribus.
Quot ſuper inducta perierunt nomina calce,
Quot ceſſere novis marmora marmoribus?
Non externorum libet hic exempla locorum
Quærere, teſtari cum tua Roma queat.
Romulea factum ſic nos nunc vidimus Urbe
Diruta ubi veterum ſunt monumenta Ducum.
Quis ventura poteſt animo comprehendere certo?
Quam facile ex muro littera ducta ruit.
Sublati Cœlo veterum cecidere Coloſſi,
Saxea Templa cadunt, Pyramideſque ruunt.
At græci ſupereſt latii quoque carmen Homeri
Doctorum reſtant claraque ſcripta Virum
Mæcenas non eſt defunctos inter habendus
Tot Vatum attollunt quam ſuper aſtra Tubæ.
Vatum igitur reſono Princeps laudabilis ore
Cum fueris: Vatum ſtringe Patrocinium
Viventum iſte Liber vivaces conferat Annos,
Ultima nec poterit lædere flamma decus.

Lazzarellus inops Vates, & Carminis Author
Quem tibi commendo ſi mea verba valent.
Res divina Sacrum, res eſt divina, Poema,
Non ea majeſtas, quæ fuit ante manet.
Inclita Pierides, & amabant ſceptra Poetas,
Et fuerant Superis maxima cura Deis
Sancta per hos dignas capiebant Numina laudes
Heu nunc ridiculo nos pia turba ſumus.
Ipſe Argonautas permulſit Tracius Orpheus
Callimachi fuerat ſed Ptolomeus amans.
Et Phalari charum quid te Steſichre reponam
Cui præter veniam ditia dona dedit.
Quid Metemneum vectum Delphine Poetam
Neptumno ut fuerit maxima cura, loquar?
Pindarus ob Lyricos numeros ob Apollinis artes
Charus Alexandro fertur Amyntheadæ
Ledæi hunc Fratres etiam impendente ruina
Ex epulis (caveant quo ſua Fata) cient.
Euripidi Archeleos regni ſecreta revelans
Conſilio Vatis ſæpius uſus erat
Funereque illius largum diffundere cenſum
Viſus & eſt tonſa flebilis ire coma.
Prodidit Archilochi Cædem conſultus Apollo
Dum jacet exanguis, dum ſine mente jacet.
Numine ſic dirum ſcelus increpitante retectum
Latronum diræ ſic patuere manus.
Dum Lacedemonius premeret Liſander Athenas
Millia dumque Hominum Marte furente cadunt.
Liſandrum Liber monet oppetiiſſe Sophoclem,
Et jubet ut poſito marmore corpus humet.

Sci-

Scipiadæ uſque adeo charus fuit Ennius: illi
    Victori ut poſſet laureus ire comes.
Ille ſuo Vates ſtatuam jubet eſſe ſepulchro
    Uſque adeo in Vatem pectus habebat amans.
Mecenas Venetamque tubam, Venuſinaque plectra
    Nec non munificus foverat Octavius.
Oppionum Vatem Pius Antoninus amavit,
    Claudiani placuit Muſaque Theodoſio.
Trajanique foro poſita huic inſignis imago eſt
    Fratribus a geminis, quam notat Oda duplex.
Futino Statuam conſtruxit Olimpia Vati
    Huic Statuamque ſui dehinc poſuere locri.
*Lazzarello* utinam ſub te REX CAROLE vitam
    Ducere contingat: non Simulacra petit.
Optat at omne ſuum cantando abſumere tempus,
    Caſtaliiſque tuum ſpargere nomen aquis.
Enutri, ſervaque illum cui vita fatiſcit,
    Congruus & toto non datur orbe locus.
Te mandante, illi poterit miteſcere Cœlum,
    Fungere jure tuo qui ſuper Aſtra potes.

## Thaliæ Muſæ Sermonis Continuatio, et Argumentum Operis ad Carolum Regem.

Forte bis octonis ſi quæras noſſe Libellis
    Præbe aures referam quid canat iſtud opus.
Quæ ſint Chriſticolis totum celebranda per annum,
    Mobilia in primis, tum ſacra Stata canit.

 Inée-

Interea & Cœlo quæ ſurgant Aſtra, cadantve
    Exprimit: Agricolis quæve gerenda monet.
Texat & ut pulcram diverſo flore coronam;
    Multarum rerum conſerit hiſtorias.
Demum homines tetrico librans examine judex
    Virtutem extollet, crimina merget humo.
Tunc condigna tuæ virtuti præmia ſumes
    CAROLE qui Terris Aurea Saecla facis.

ARGU-

# ARGUMENTA

## In Singulos Libros Fastorum Sacrorum.

### In I. Lib.

Primus diverſam rationem continet anni
Et Menſum partes, hebdomadaſque, dies.
Hinc Sacri Adventus cauſas, & ſolemnia narrat
Inde quater denos tempora ſacra dies.
Quęque roſam ſequitur ſolemnem hinc palma refertur
Feſta haec contingant CAROLE fauſta tibi.
Et tibi ſint roſeis ſemper redimita Coronis
Tempora. Sit manibus palma cupita tuis.

### In II. Lib.

Alter nobilium normam referendo ſacrorum
Ad Lunae cohitus illa redire monet.
Myſtica tum divae memorat pia fercula caenae
Inde refert ſacrae fata ſuprema crucis.
Cum ſacrum latuit corpus, canit inde Sepulchrum.
Tum canitur Chriſto vita reverſa Deo.
Ille cibus, Crux illa, deo & te buſta beatum
CAROLE te nectat reddita vita Deo.

### In III. Lib.

Tertius in Cœlum victricia ſigna reportat
Vota ſed effundunt tres tamen ante dies.
Æthere dehinc miſſum divini nectaris ignem
Mox trino indicit Feſta colenda Deo.
Inde novi ritus ſacrum: hinc jejunia narrat.
Denique in aſpectum ſe jubileus agit.
CAROLE conſpicuos Pipini auctore triumphos
Praeſentem ſervent haec tibi feſta Deum.

### In IV. Lib.

Fixa en biſſeni referunt ſolemnia libri
At tribus ante actis hic modo quartus erit.
Primates tantum hæc noſtra argumenta loquantur,
Cernere corporeum qui potuere Deum.
Longinum,& Joſeph,Mariamque hic quartus habebit
Quam Gabriel Cœlo miſſus avere jubet.
Nuntius ille idem claro tibi miſſus Olympo
CAROLE te edoceat proſpera fata dari.

### In V. Lib.

Continet & QUINTUS ſolemnia clara piorum
Nemo tamen potuit carne videre Deum.
MARCE licet ſcribas numereris quattuor inter
Quæ tamen ènarras edocet illa Petrus.
Non mihi compertum eſt humana an carne latentem
Præſenti affatus videris ore Deum.
Quicquid id eſt pro quo ſuprema es paſſus adora.
CAROLUS ut ſuperet Caſtra inimica pete.

### In VI. Lib.

Dive Philippe ſacros celebrat tibi SEXTUS honores
Teque dies idem Dive Jacobe colit.
Inventam colit inde Crucem. Te deinde Joannes
Supplitio creptum porta latina videt.
Apparet Victor Gargani in Monte Michael,
Hic te victorem CAROLE victor agat.
Atque tuba veluti Regem te monte recepit
Gargani Regem te foveatque jugo.

Bar-

### In VII. Lib.

Barnabe adoratas en ſeptimus explicat aras
Qui Paulo adjunctus dogma ſalubre dedit.
Baptiſte exorta laudes inſtaurat, & offert
In Cruce pendenti non pia vota Petro
Denique fert Paulo capitis monumenta reciſi
Cum triplici exurgunt verbere fontis aquæ
Audiat hos ſemper tibi Jeſus adeſſe Patronos
CAROLE: nec pro te dona petita neget.

### In VIII. Lib.

Viſitat octavo gravidum Regina Sororem
Præſcia dat cujus corpore ſigna puer.
Tum Magdalenæ divinos ſumit honores.
In ſacris laudes hin Jacobus habet.
Anna parens Mariæ hin colitur vere Anna perenna
Suſcipit hinc humiles hoſpita Martha preces.
Hæc pia turba tuos ad votum dirigat actus.
Conſonet & cæptis ultima mæta tuis.

### In IX. Lib.

NONUS habet Petri nodos Stephanique repertum
Corpus: & elapſas tum per inane nives.
Inde Taboreo transformat vertice Jeſum
Aſſumptam hinc memorat ſidera ad alta Deam.
Bartolomeus habet meritos tum mortis honores
Baptiſtæ truncum fertur honore caput
CAROLE te ſemper gratum hæc ſolemnia Chriſto
Continuent Chriſto qui geris arma Deo.

Exor-

## In X. Lib.

Exortam DECIMUS memorat de ventre parentis
Virgineam Chriſtum, quæ paritura Deam
Inde Crucem exaltat Perſarum ex Urbe relatam.
Annua Matheo thura dat inde pio.
Dedicat inde tibi Gargani templa Michael
Vertice quæ propria ſtructa ſuere manu.
Te feſta incolumem ſervent hæc CAROLE ab Hoſte;
Nec ſit quod timeas: omnia Marte domes.

## In XI. Lib.

Te ſimul & Socios Dionyſi primus habebit
Poſt decimum, Mariam digne videre Deum;
Inde tubæ montis celſa ſub rupe Michael
Te Britones recolent finitimæque manus.
Hinc Lucæ ſacros Templis inſtaurat honores
Simonem, & Judam mox ſimul ara vocat;
Hæc te victorem in Turcas ſolemnia reddant
CAROLE: pro Chriſto qui nova bella paras;

## In XII. Lib.

Æthereos omnes cives colit ipſe ſecundus
Poſt decimum: Chriſto primaque templa dicat;
Inde Petro, & Paulo diviſim dedicat Ædes
Una dies: veluti mortis & una dies.
Hin Mariam pro lege offert in templa tenellam
Andreæ hinc recolet fata ſuprema pii.
Horum cum paſſim cujus effundere nomen
CAROLE ſint omnes in tua vota pii.

TER-

## In XIII. Lib.

TERTIUS a decimo conceptam corpore Matris
Fert Mariam: hinc Thomæ fata ſuprema refert
Virgineo exortum recolit tum Corpore Chriſtum
Hinc canit in Stephani ſaxa voluta necem.
Denique Virginei fert dulcia Fata Joannis
Inventum Effoſo fert quoque manna ſolo.
Hæc te victorem ducant regionis in oras
CAROLE qua hæc veteres geſta fuiſſe ferunt.

## In XIV. Lib.

Poſt decimum quarto caro circum ſepta libello
Verbigenæ in templis annua ſacra capit
Directo nova flamma Magos hinc limite ducit
Ut tribuent nato munera trina Deo
Optima tum Chriſti ſectatur dogmata Paolus
Qui media Chriſtum vidit adeſſe via
Vidit adeſſe via, qua te victricia ſigna
CAROLE quæ regnant Numina ferre velint.

## In XV. Lib.

Poſt decimum quinto Regina puerpera Libro
Natum offert templo purificata ſuum
Hinc Cathedra Petrus Antiochi exaltatur in Urbe
Ut tamquam vero dent ſua liba Deo.
Matthias hinc ſorte datus ſuccedere Judæ
Audit votivas ad ſua feſta preces
Sic tibi ſorte cadat Chriſti venerabile Saxum
Pro quo bella geris ſub tua jura trahi.

Ulti-

Digitized by Google

### In XVI. et Ultim. Lib.

Ultimus in ſolio regnantem collocat alto
Qui mala diſcutiet ſeu benefacta Deus.
Infima pro meritis reprobos in tartara mittet
Regna ubi perpetua pallida luce vigent
Illuſtres pietate Viros in ſidera tollet
Regna ubi perpetua candida luce vigent.
CAROLE cui Chriſti tribuit cognomina Regni
Te Cœli ſtatuat ſedibus illa dies.

## LUDOVICUS LAZZARELLIUS

### Ad Lectores Libri Sui de Fastis Sacris.

Dulce Sodalitium turba o celeberrima Vatum
Caſtaliam exquiliis qui ſtatuiſtis aquam,
Suſcipere exactos hæc pignora noſtra libellos
Librandum equo animo ſuſcipite iſtud opus
Hoc etenim ritus fidei, & ſolemnia narrat
Lucidaque ad faſtos admovet aſtra dies.
Congeriem dociles diverſam attendite rerum,
Geſtaque pierio vix adeunda pede.
Suſceptum veſtra fuerit ſi lance probatum
Non mihi ſunt clarii templa petenda Dei.



Digitized by Google

*LUDOVICI LAZZARELLI Poemati cui titulus BOMBYX adjungere alia ipſius Carmina ad Carolum Gallorum Regem voluimus, ut confirmatum haberes quidquid per nos dictum erat ſuperius in pag. 15. hoc eſt, Poema de Faſtis Sacris fuiſſe in XVI. Libros diſtinctum, & Carolo Gallorum Regi a Lazzarellio dicatum, In reliquis animus noſter haud refragatur fidei Clariſſimorum Virorum Auguſtinii, & Zaccariæ, quibus dicentibus ſicut nos, & alii fidem habebunt; Nam fieri poteſt, quod Poema illud in XVI. Libros diſtinctum, & Carolo Gallorum Regi antea paratum, ab eodemmet Lazzarellio, aliis duobus Libris additis, & ſic in XVIII Libros diſtinctum, ad Ferdinandum de Aragonia fuiſſe poſtea nuncupatum.*

*Poeſis Cultores forſan non tantum alia Lazzarellii Carmina, quantum Poema de Faſtis Sacris præoptant: Si quæ integra nobis modo eſt, Deus ætatem ſervabit, ipſo juvante, ſperamus nos aliquando eorum optatis fore ſatisfacturos, edentes Librum cum nonnullis Notis opportunis. Aſt ab hoc opere cogimur modo & noſtram avocare cogitationem. In alia totum animum adiicimus. Excipito interim, quæ damus omni humanitate, & bene rem geras. Vale.*

***FINIS.***

Google

# CARMINA
# ALIORUM POETARUM
# PICENORUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

# MONITUM LECTORI PICENO.

*B. L.*

*A Poematibus Ludovici Lazzarellii hæc quæ ſequuntur adjungere noluimus, ut Picenarum Muſarum delicias aliquanto deguſtares. Quotquot in his carminibus ſint Veneres, Chariteſque, tu ipſe videris. Si tui gratia nos illas detegere vellemus, utique operam abuteremur. Volumus tamen te monitum, Carmina, quæ hic habes, ut plurimum eſſe anecdota, vel ſi edita, in Libris non ubique obviis reperiri. Non omnia compta, aut lima polita ſunt, ut mereantur recenſeri inter meliora ab unoquoque Auctore producta. Sunt mala mixta bonis; nihilominus cum Naſone dicimus*

Non tamen illa legi poterunt patienter ab ullo
 Neſciat his ſummam ſiquis abeſſe manum.
Ablatum mediis opus eſt incudibus illud &c.

*Ovid. Triſt Eleg. 6.*

*Nonnulla ex ipſis edimus, quia nobis viſa ſunt elegantiſſima ut temporibus illis, quibus Auctores vixerunt: aliaque reſpeximus tamquam reliquias ab ædacitate temporis ſubtractas. Cave ergo ne putes non vixiſſe alios & alios in Piceno Poetas, iis quos damus longe præſtantiores. Circiter bis mille, vel Clariſſimi Viri, vel Spectatiſſimæ Fœminæ in hac Regione præteritis Ævis, Poeſis ſcientia pollentes, numerantur; Fatemur nihilominus perpaucos perſpectos eſſe, & multa ipſorum Nomina etiam eruditiſſimos Viros latere; vel quia in pluteis Bibliothecarum, Blattis pabulum, vel pulvere aſperſa eorum Opera fraceſcunt MSS., vel ſi edita pærara facta ſunt. Deſunt etiam qui de Ipſis ſcripſerint Commentaria; unde tot, tantique Auctores quaſi in oblivione jacent, ut & nos tricolos tetraſtrophos Horatii verſus recitare cogamur*

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi: ſed omnes illacrymabiles

Urgentur, ignotique longa
Nocte: carent quia Vate Sacro.

*Hor. L.* IV. *Od.* 9.

*Nos ut multorum expectationi occurreremus, inchoavimus Opus, quod multas manus poſcit. Huic titulus eſt* BIBLIOTHECA P CENA. *Duodeviginti mille & ultra Illuſtrium Virorum Picenorum Memorias jam jam hoc in Libro coegimus, nec (favente Deo) abſcedemus, incepto antequam ſummam manum Operi imponamus. Te id noviſſe voluimus, ut ſi quas habes de ſuis Civibus cognitiones, nobiſcum eas large communices. Multos uſque dum habuimus lingua factioſos Viros, inertes opera. Tu ſi noſtris optatis feceris ſatis, labores quos ferimus, aliquo modo levabis, & calcar addes, ut cito citius inchoatum opus abſolvatur. Si noverimus te induſtriam noſtram probaſſe, vel ſaltem non improbare, quod communis Patriæ honoris cauſſa elaboremus, brevi etiam* Franciſci Arſillii Senogallienſis. Franciſci, & Marii Philelphi de Tolentino. Cyriaci Picenicollii Anconitani. Nicolai Perotti Sentinatis. Hannibalis Cari de Civitanova. Franciſci Speruli Camertis. Pacifici Maximi, & Euriali Morani Aſculanorum. Antonii Conſtantii Fanenſis, *aliorumque ſimilium Opera nondum evulgata, attamen per nos Typis jam parata, dabimus, eadem forma, & eod m prelo, quo in præſentia Carmina Lazzarellii, aliorumque Poetarum damus, una cum Commentariis de Eorum vita, doctrina, & ſcriptis, quos Carminibus adiicere non abs re factum putavimus. Denique ſi in verba aliqua offendes ex regulis Ortographiæ minime ſcripta, ne Typographo culpam aſſignato, ſed ſcito quod nobis viſa ſunt fore danda hæc carmina ad fidem Codicum, ex quibus illa exſcripſimus, ut quæ antiqua quodammodo vetuſtatem redoleant. Tu ſummis ſaltem labiis hæc deliba, & munuſculum qualecumque ſit equi bonique conſulito B. L. Vale.*

JA-

# JACOBUS PISAURENSIS.

PIſauri Urbs in Piceno Emporium Litteratorum Hominum dici poteſt, nam omni Ævo habuit Cives ingenio, & doctrina præſtantiſſimos. Eminent hodie præ ceteris Joannes Baptiſta Paſſerius. Joannes Pauluccius Arcis Præfectus. Carolus Gavardinius, & Annhibal Oliverius, quo non preſtantior alter antiquitatis Patriæ ſtudioſus. Ab eo hiſtoriam *De Viris Illuſtribus Piſaurenſibus* expectamus. Sicuti ipſe in Notas ſuas ad Marmora Piſaurenſia ſingula quæque erudite ſcripta a Goczo Goczejo; Salvatore Salvatorio; Marco Antonio Goczejo; Sebaſtiano Maccio, aliiſque Doctiſſimis Civibus, retulit; ſic ei gratias referemus, ſi quæ de Illuſtribus Viris Piſaurenſibus ab eiſdem, & aliis clariſſimis Scriptoribus dicta ſunt, tandem evulgabit, nec ultro ſinet ejus inceptum fruſtra eſſe, & nos expectatione conſumi. Veniam a Clariſſimo Viro petimus, ſi aliquotfariam in ejus Provinciam ingredimur, & Commentarios impolitos, mendiſque ſcatentes de ſuis Civibus, quorum Carmina hoc in Libro eduntur, ſcribere auſi ſumus. Id nobis perſuaſiſſimum eſt, quod Olli-

 verius,

verius mendas noſtras purgabit, & quæque nos jam Peregrini omittimus, Ipſe popularis, tot hiſtoriarum libris, quos pre manibus babet adjutus, ſupplebit. Id Commentariolis noſtris ominamur, nam hujuſce Viri ferulæ nec manus ſubduceremus. Interim Eum, alioſque doctiſſimos Piſaurenſes Cives deprecamur, ut tamquam argumentum obſequentis Animi noſtri erga ipſos hos breves Commentarios excipiant, & eorum humanitate res illas, in quibus defecimus, vel ſumus hallucinati, purgare ipſi dignentur. JACOBUS PISAURENSIS humili loco natus, Puer humaniores litteras, ac Rhetoricam didicit a Franciſco Philelpho inſigni ſui Ævi Rhetore, & Poeta multorum nominum. Multæ in Jacobo litteræ, nec vulgares, & præſertim egregia ad poeſim indoles. Quæ in Rhetorica didicerat, ad uſum, utilitatemque ſuorum Civium tranſtulit; nam pluribus annis Pueros humaniores artes in Gymnaſio Piſaurenſi, deinde Piſis, Florentiæ, & in aliis Tuſciæ Civitatibus Rhetor docuit ab anno 1438. ad plures ſequentes. Quo anno, quove in loco ipſe obierit, ſum neſcius. De illius ingenio remanent haud injucunda Monumenta in ſequentibus Libris.

I. JACOBI PISAURI DE OCTO PARTIBUS ORATIONIS EPITOMA GRAMMATICUM. Extat inter Codices MSS. Bibliothecæ Vaticanæ num. 1498. Codex eſt membranaceus in 8. pag. 35. ſcriptus Piſauri v. Kal. Majas MccccL. In Epiſtola dedicatoria ad Piſaurenſes ſic inquit = *Ego*

*Ego vero quamquam ab initio haud magnis editus Parentibus, & ruſticanus fuerim: iter tamen ad litteras magno animo ingreſſus: hac una ſuaviſſima in primis militia exercitatus, & ſummo eruditiſſimoque ætatis hujus Duce Philelpho uſus, ad hanc tandem evaſi facultatem ut nulla quod in re vobis Civibus meme obeſſe crediderim: prodeſſe vero forſitan in plurimis. Cum enim juventutem hanc veſtram &c.* =

II. CARMINA. Ex Codicibus Vaticanis nonnulla ipſe ego exſcripſi, & alia omiſſi, vel quia ſalaciora, vel quia ſale nigro conſperſa. Extant inter Codices Vaticanos Urbinatenſes num. 643. & 1498.

**AD D. ANTONIUM PANORMITAM SICULUM Elegia quo tempore miſſus eſt ad E. V. P. & Sen. Flor.**
***Ex Cod. Vatic. Urbin. num. 643. pag. 104.***

Cum primum fama emicuit veniſſe Poetam
Huc Siculum Ytaliæ, Siciliæque decus.
Protinus exarſit menti vis unica noſtræ
Velle Panormitam viſere, velle loqui.
Qui dudum Auſonias circum clariſſimus Urbes
Jam fuerat terra cognitus atque mari.
Quius, Ego antiquos linquens aliquando Poetas
Nunc dulces Elegos: nunc Epigramma lego.
Namque tuum quotiens Nemeſis formoſa Tibullum
Poſthabui aut Vatem Cinthia bella tuum.
Facta mihi quotiens inimica Chorina Peligne
Naſo, Catulle, mihi Lesbia facta tua eſt.
Ipſe ego ſum, blandum cecini quam ſaepius illud,
Deſine me Domina diſſotiare mea.
Etſi quando Animus miti revocatus ab Urbe
In manibus noſtris Hermafroditus erat.
Atque utinam Amguigeri poſſem fera bella videre
Cæſaris, aut Claſſem pilaque miſa pado
Undi-

ANTONIUS, dictus etiam ANTONINUS Panormita pluries ad excelſos Venetos Patres, & Senatum Florentinum, ac Januenſes allegatu Alphonſi Regis Neapolitanorum venit Antonius anno 1394. Panhormi ortus eſt Patre Henrico Beccadellio Bononia oriundo, & ideo Antonius Bononia paſſim denominatus. Perperam Petrus Angelus Spera *De Nobil. Prof. Gram. lib. 3. pag.* 135. Pandulphus Collenutius *in Hiſtor. Neapolit. lib. 6. pag.* 270. Coronellius, Morerius, aliique cum

Undique cum vario venientes turbine Ghalli,
Et Veneti Vires conſeruère ſuas.
Aut potius magni, ac generoſi Regis amores
Aragonum, aut Martis Lictoris atque Maris:
Hunc precor ut ſervent cæleſtia Numina Regem,
Atque utinam lauro, carminibuſque tuis.
Rex erit o quantum felix. Tuque ipſe Camenis
Ille tuis felix tuque Sicane tuis.
Salve igitur patrii ſpes & præclara Panormi
Tinacria major, Tinacriaque minor.
Unde ſibi longum ſortita eſt Inſula nomen
Montibus exigua eſt fama futura ſuis
Ante etiam Scillam Nautæ, Vaſtamque Caribdim
Non metuent Ponti Monſtra timenda Maris
Quam tua lux dudum terras diffuſa per omnes
Italiæ finem poſſit habere ſui.
Solus enim noſtro meruiſti tempore nomen
Jam pridem extinctum Vatis habere novi.
Solus item liquidos Parnaſi inviſere fontes
Solus Apolineæ plectra tenere Deę
Soli etiam circum lauro dare tempora Cęſar
Dignatus Laurum dum petit ille ſuam.
I nunc Virgilio ſimilem te redde Maroni
Qui cullice extincta nobile panxit opus.

 Sil-

eum Bononiæ exortum dixere: origine enim Bononienſem, ortu Panormitanum fatentur omnes: de hac re egregie diſſerunt Antonius Mongitor *in Bibliotheca Sicula T. 1. pag.* 55. Apoſtolus Zenus *in Diſſertationibus Voſſianis T. 2. pag.* 305. *& ſeq.* ipſi pluribus egerunt

Silva ſibi, & pecudes Campi placuere, puella
    Tum demum Eneam duxit in arma pium.
Si ſatis & Domine ſatis eluſiſſe Catellis
    Arma Virique acies aggredienda tibi.
Illa aliam atque aliam vitam expectare videntem
    Que ſunt in tenera dicta vel acta die
Atque iterum ut Siculum Gorgiam, & Neſtora vincas
    Salve mi auxilio ſępe future pio.

EJUSDEM AD EUNDEM ANTONIUM PANORMITAM
*ex altero Cod. Vatic. 1498. pag. 36.*

Antonine tuos quoties numerabis Amicos
    Fac meus in prima parte leghatur amor.
Me tulit Adriacus non longe a lictore Collis
    Me dudum Tuſci detinuere Lares.

Hinc

runt de Panhormita, qui a doctrinæ, ſplendore veneratus ſingularem promeruit æſtimationem apud Italiæ Magnates, ac Viros litteris inſtructiſſimos, inter quos recenſendus Sigiſmundus Imperator, a quo plaudentibus bonarum artium amatoribus, fuit Poetica Laurea tedimitus prope annum 1433. non 1449. ut perperam Toppius *in Bibliotheca Neapolitana pag.* 24. merito a Joanne Maria Amato *in Not. ad Orationem I. pro Collegii Panorm. Studiis n.* 137. *pag.* 124. rejectus. Philippo Mariæ Vicecomiti Mediolanenſium Duci, Ferdinando Regi Parthenopeo, ac Alphonſo Filio cariſſimus fuit Antonius, qui Alphonſo adheſit ſecretioris Scrinii Magiſter, & Srudiorum, expeditionumque omnium terra, marique perpetuus Comes, & tandem Neapoli maximo omnium dolore vivere deſiit 6. Januarii 1471. Ætatis ſuæ 77. Plures Libros ſcripſit ſatis a Litteratis Viris probatos, & inter hos extat ille, cui titulus *Hermafroditus*, qui a Jacobo Piſaurenſi in Carmine ſuperius dato memoratur. *Hermafroditus* Opus eſt contextum verſibus ſalaciſſimis, & Coſimo de Medicis nun-

Hinc me Diva ſuis revocatum cepit Ocellis
    Angela nunc lauro me tegit ipſa ſuo.

*De volente habitare Florentiæ juxta proverbium. Ibid.*

Formicæ Alveolum, mentem Canis aeria membra
    Induit omnis homo quoi ſit Florentia curæ.

*In Paulam ſuam. Cum ſe Paula dies plurimos talamis abdixiſſet ob id Amator diſperatione motus mortem appetit. Ex Cod. Vatic. Urbin. 643. pag. 79.*

Ante ego Circeo componere carmina cantu
    Conſueram & tremula fundere voce jocos
Vos etiam circum Muſæ ſpectare canentes
    Audebam, & fonti figere ſæpe pedem.
Et te quem medio modulante Turba Sororum
    Cernit ovans fidibus pulcher Apollo tuis
Vidi ego Parnaſi Colles Eliconaque circum
    Cæleſtum laudes flectere mille Deum
At nunc ſana mei conſilia pectoris acer
    Vexat Amor, cordi fixa ſagitta meo eſt.
Arcitenes vagabundus habet mea pectora ſolus
    Mentem ſolus habet nocte dieque meam;

 Ac

nuncupatum. Plura in hoc, quæ ſolum ætati concedi poſſunt, vel licentiæ jocandi, habentur: omnia fere, quæ Chriſtianum Virum dedecent. Philelphus. Valla. Raudenſis. Marianus Volaterranus. Niceronius. Janus. Brouchuſius *Hermafroditum* damnant; Si illum ergo laudibus Piſaurenſis Poeta extollit, aut fecit id, ut Panhormitæ gratiam aucuparetur; vel ſibi viſum eſt opus jocoſum, & plenum voluptate, ſicuti viſum eſt Antonio Luſco & Poggio Florentino, qui elegantem rationem dicendi delibantes, laſciviendi veneno ſibi mortem conſciſcere haud recuſarunt.

Ac veluti multo glomerati turbine Venti
Certatim anguſtis incubuere fretris;
Sic mi durus Amor contento fortior archu
Advolitans miſero ſpicula mille jacit.
Quorum unum inſultans alta in præcordia fixit
Aurea cuſpis erat, vulnera perpetua
Heu morior ſubit ira meum trasfodere pectus
Fortiter haut laqueo frangere colla truci.

*Epitaphium abſc conditum* 1437. *Ad laudem* BERNARDI DE MAGIIS *Brixien. Prætoris Piſaurenſis. Ex Codice Vatic. Urbinat.* 1498.

Briſſia perpetuis Urbs illuſtriſſima Belli
Laudibus e multis edidit ampla Virum
Berardum: plebem ac populos juſteque pieque
Qui regeret: Maya ductus ab ipſe domo
Hunc Piſaurenſes donatum inſignibus Urbis
Prætorem ſumma laude tulere Virum.

*Apud Laurum pridie Kalendas Junias* MCCCCXXXVIII.

*Ex Codice Vatican.* 1498. *pag.* 34. *& ſeq. In* BERNARDINUM CARDAM *Ductorem fortiſſimum ubi Cives Urbinates queruntur*

Heu quanto Patriæ luctu, lachrimiſque tuorum
Bernardine jaces conditus hoc tumulo.

Mors

BERNARDINUS DE CARDA idem eſt ac Bernardinus de Gente Ubaldinia Octaviani Ubaldini Pater, Bellator ſui Ævi ſtrenuiſſimus, de quo pluries ſermo eſt in Sfortiade Joannis Simonetti Lib. 1. cap. 6. & Lib. 7. cap. 5. In hiſtoria Mediolani Bernardini Corii par. IV. pag.

Mors etiam Anguigero tua quot diſcrimina Regi
    Intulit: eſt Fato Gallia meſta tuo.
Hic validis Venetum fregiſti viribus hoſtem,
    Hic tibi victores Addua ſenſit Equos
Hoc Guidantoni lachrimis profunde ſepulchrum
    Qui Socer ipſi aderas, & Pater ipſe ſibi.

*In Eundem, ubi* COMES GUIDANTONIUS *Urbinatium Rex hæc dolens loquitur.*

Hic Patriæ Columen noſtræ jacet inclitus armis
    Bernardinus Avis clarior ipſe ſuis
CARDA domus nobis alium dedit Hectora: quando
    Edidit hunc partu Mater honeſta ſuo.
Hunc bellatorem Tuſci meruere potentes
    Hunc Veneti: Lygures: hunc Genuenſe ſolum
Hunc Urbinates mecum decorate perhenni
    Obſequio: vobis maxima dempta ſalus.

JACOBI PISAURI *funebre Carmen in* GUIDANTONIUM *Urbinatium Regem pium, ac ſapientiſſimum. Ex Codic. Vatic.* 1498.

Hoc Guidantonii quamquam tua membra ſepulchro
    Condantur: Cæli nomen & Aſtra tenent.

Non

pag. m. 319. A Leandro Alberto in Italia Iluſtrata p. m. 240, *A Hieronymo Mutio Giuſtinopolitano de' Fatti di Federico di Monteſeltro Duca d'Urbino pag.* 8. & a Muratorio inter rerum Italicarum Scriptores Tom. XVIII. col. 771. & ſeq. a Joanne Baptiſta Marinio *Saggio di Ragioni della Città di S. Leo pag.* 46. aliiſque Scriptoribus memoratur: obiit A. 1438.

Non erat in toto mens ulli ſanctior orbe
    Non pietas major: religioque fuit.
Quis humiles tanto frontis, verbique manuſque
    Audiit obſequio? blandiciaſque tulit?
Quis Regum caſus cognovit & ante futuros?
    Quam fuerant? ſubitis & dedit arte modum.
Te Valles: Monteſque tui: te Gallia flendo
    Proſequitur. Regi mors tua nigra ſuo.

*Idem in Eundem. Ubi* MALATESTA JUNIOR *Ceſenatium Rex* GUIDANTONI *Gener introducitur, cui Uxor Violanta.*

Inclite Semideos inter numerande vetuſtos
    O Socer, & vitæ ſpeſque ſaluſque meæ.
Te lachrimans Violanta ſuas comitata Sorores
    Commemorat: Natus, tum puerique, Senes
Te queror ante alios: tali quem longius axe,
    Præſidioque frui non tulit Omnipotens.
His tamen incluſus quamquam teneare latebris
    It Mare per terras nomen ad Aſtra tuum.

FRAN-

# FRANCISCUS SPERULUS CAMERS.

**Iſtius meminimus ſupra in pag. 38. & ſeq.**

*Seceſſus Capralycus ad Reverendiſs. Cardinalem* HERCULEM RANGHONUM. *Ex Codice Reginæ Svetiæ nunc Vaticano num.* 2019. *pag.* 168.

Sicut ab aurato deſcendens Phœbus Olympo
Natali inviſit delia rura ſuo.
Aeriique jugis Cynthi ſpatiatus opacis
Inſtaurat lætos per nemus omne choros;
Quique Jovem cantu atque Lyra modo mulſerat,audit
Ipſe rudem Umbroſis Pana ſub ilicibus.
Quique Dees inter nituit formoſior omnes
Ipſe inter Dryadas Capripedeſque ſedet.
Verſicolora avidæ quærunt per prata Napeæ
Lecta ut odoratis dona ferant calathis:
Frondoſæ circum Silvæ, & cava Delion antra
Ingeminant: reſonant omnia lætitia:
Terrarum domina Rhango ſic Urbe relicta
Seceſſus petiit, Pan Tegeæe, tuos.
Nam tu poſthabito Capralyca rura lyceo
Incolis, hæc tua nunc Mænala jure voces
Sylvanuſque ferens teneram ab radice cupreſſum
Te ſequitur: Faunos huc tuus egit amor.
Et quid agant Dryades ſine te, Fauniſque? tulerunt
Hæ ſimul: & vitreæ Naidis inde pedem.
Hic nunc Arcadia eſt (quid non vaga tempora mutant?)
Huc pia Paſtores vota preceſque ferant.

Quiſquis

Quiſquis amas gelidis Æſtum ſepelire ſub undis
Huc ades: Icarii nec metue ora Canis.
Sedulus obſtantis Zephyrus per culmina montis
Solus it, & flatu temperat aſtra ſuo:
Flamina ſed rauci Borea mons ipſe retundit,
Et jubet in Scythiam victa referre pedem.
Nullus iter ceſpes, nullus lapis obſidet, ex quo
Frigidior getico non fluat unda gelu.
Nympharumque Pater gelidarum Liber amator
Vate colit colles, poſſidet ipſe locum:
Largius haud uſquam rotis vindemia labris
Spumat, & undanti pinguia muſta latu:
Ima petunt cellœ, via nec patet ulla furori
Æſtivo: certant lympha merumque gelu:
Qui bibit hic, viles laudes putet eſſe Falerni,
Nec metymneæ Germina vitis amet.
Ergo tuo adventu RHANGO ſpes maxima rerum,
Audito agreſtes mox coiere Dei:
Regia Panos erat frondentibus abdita ſylvis
Inque cavum montis ſaxa remota latus:
E medio ſurgit liquidarum gurges aquarum
Callirhoe quales, aut Arethuſa, tuæ:
Pan ſedet herboſo, Faunique in ceſpite, truncum
Sylvanus Quernum, Saxa premunt Satyri
Sors non ordo illis ſedem dedit; inde locuti
Plurima, Te regem conſtituere loci.
It plauſu Cœlo RHANGONEM concava reddunt
Saxa, lacus, ſylvæ, flumina, & omne latus;
RHANGONEM incidit dura Sylvanus in ulmo;
Scripta manu Panos nomina fagus habet:

Non

Non acer ulla manu Faunorum intacta: legetur
Aucta olim hęc magnis littera corticibus
Ruſtica tum pubes regionibus excita circum
Convenit, ut magnam ſit venerata diem:
Curva Boves ſolvunt feſſos juga: durus Arator
Ex hedera hirſuto ſerta legit capiti:
Solibus uſta capit ſepoſtos villica amictus,
Texuit e propriis quos ſibi velleribus.
Ut Choreæ in noctem pabula venere ſub alno,
Præmiaque ut multis dura palæſtra dedit;
Ut curſu vicere pedum poſt vina dapeſque
Quis ſine lege datis lætior omnis erat;
Tum ſylvis ſtruxere pyras: glomeratur in æthram
Qualis ab Ætneo vertice flamma ſolet:
Succenſis demum tælis certamina in orbem
Cum Choreis miſcent: ocia nullus agit:
Lucida continuis non eſt in luſibus acta,
Nec viſa eſt naſci pone ſecuta dies:
Noctem illam Phætontis Equi excepere diemque
Vexerunt eodem lumine in oceanum.
At tu qui lateri noſtri Jovis inclytus hæres
Inque adytis frueris Numine, numen habens,
Atque alios inter fulges præſtantior omnes,
Inter ut Eoum ſidera parva jubar,
Conſiliiſque aſtas magnis, dum grandia colla
Auſoniæ externo liberat ille jugo,
Dumque catenatum Martem aſſentire quieti
Romuleæ, & pacis fœdera inire jubet,
Cogitur Authores dum belli hunc ſolvere in ipſos,
Deique ut hinc motus, hinc procul arma ferat,

Ah quanto ah melius pareret uterque Leoni.
His oriens armis quam cito noſter erat!
Tu RHANGO tu inquam tantus dignaris agreſtum
Ludicra, & ingenti ruſtica tecta pede:
Parvaque de manibus non ſpernis munera egenis;
Deque tua redeunt munera magna manu:
Et reddis ſermone vocem, & juvat omnia ferre,
Teque ſub exiguis figere pectoribus,
[ Mirum ] Nobilium quæ junxit corda Quiritum
Illa eadem virtus ruſtica corda ligat.

*F. Sperulus faciebat.*

THO-

## THOMAS SENECA CAMERS.

RAta auctoritas rerum geſtarum ab antiquis Viris, aut peregre, aut a ſparſis Tabulis non ſine improbo labore ſumitur. Hoc ſi de aliis multo magis de Thoma Seneca Camerte dici poteſt; nam de eo nihil præter nomen referunt Coevi Scriptores illi, quorum opera Typis vulgata ſunt; Imo nonniſi Blondum novi qui Senecæ Camertis meminerit, inquiens = *Variis Civitatibus Seneca Camertinus Italiam bonis litteris implendam pro viribus enitebatur*. [a] Erat Seneca Poeta Grammaticus, Rhetor, & Hiſtoricus, inter ſuos æquales longe præſtans. Mutuo contenderunt Urbes, ut Eum haberent in Praeceptorem, Æſinates multa propoſita mercede an. 1425. ad munia publicae Rhetoricae eum elegerunt (b) & electum pluries confirmarunt; ita & Ariminenſes, ac aliae Piceni Urbes. Anno MCCCCXXXI. Bononienſes oblatum ipſi ultro munus Rhetoricae in eorum Gymnaſio ſtipendiis aureorum centum vigintiquinque, demandarunt; prout conſtat ex Rotulis Gymnaſii (c) & mihi aſſeruit V. C. Maurus Sartius Camaldulenſis Abbas meritiſſimus S. Gregorii de Urbe, quo non praeſtantior alter. Ipſe qui brevi Commentarios de Gy-

(a) FLAVIUS BLONDUS in Italia Illuſtrata impreſſ. *Auguſta Turinorum Bernardinus Sylva* 1527. *in* 4 pag 90. (b) Ex Libris Reformation. Civitatis Æſii ſub Rogit. Petri Nicolai de Ancona ejuſd. an. 1427. pag. 16. (c) Ex Gymnaſ. Bononienſ. Rotulis Fantini Dandalii.

Gymnaſio Bononienſi ab omnium Maximorum Pontificum vere Maximo Benedicto XIV. ſibi demandatos, emittet in vulgus; de munere a Seneca functo in totius Italiae celeberrimo Gymnaſio, planiſſime ſcribet. Sicuti amiciſſimi Viri Liber ſub praelo eſt; de munere hoc a Seneca adepto plutibus non agam. A Bononienſi Gymnaſio Florentiam Seneca ſeſe contulit a Coſimo Mediceo accerſitus, & ibidem cunctis cariſſimus uſque ad ſummum Senium vixit. (a) Thomas non ſolum Rhetorum, ſed praecepta Philoſophorum Principum percepta habebat, & hiis ad vitam agendam non ad oſtentationem utebatur. Diligenter habuit cogitam, & hiſtoriam, ſi fides praeſtari debet Roberto Urſio Ariminenſi, a quo pariter habetur, quod Thomas in cana ſenectute oculos amiſit, & etiamſi ultimo Senio confectus, omnia quae didicerat, memoria tenebat. (b) Marius Creſcimbenius inter celebriores tes Petrarcae Aſſeclas Senecam Camertem recenſet, ejuſque

(a) Laurent. Mehus in Præfat. ad Epiſt. Ambroſii Camaldulenſis. *Florentiæ* 1759. *in fol. pag.* 21. *&* *pag.* 347. [b] Robertus Urſi Ariminenſis in Libro Epigram Codex Membranaceus MS. in 4. extabat in ampliſſima Bibliotheca immortalis Paſſionei Cardinalis, Codex Scriptus fuerat anno 1470. & ibi ſic

Ad Senecam Camertem.

*Cana videre mei Senecæ juvat ora Camertis*
*Vatis, Grammatici, Rhetoris, Hiſtorici*
*Ambulat hic oculis captus, qui vincere Lyncer*
*Debuit: at memori ſingula mente tenet.*

eiuſque italos verſus valde probat (a), ita & Quadrius (b). Quo die, & ubi mortalitatem expleverit, reſcire nequivi. Qui curioſus de Eo plura optat cognoſcere, hæc per ſe ipſum in antiquis libris ſcrutabitur; nam ego de Seneca Camerte nil aliud ſcio, præter quamquod Boccolinius in Monito ſuo, ſeu ut ab eodem appellatur = *Apparato de' Scrittori Piceni* = Senecam anno 1410. vixiſſe inquit, quod verum erit, ſi addes, *& pluribus aliis ſequentibus*: Scripſit Seneca Camers

CARMINA VARIA. Habebis nonnulla in præſenti Collectione, ita & inter *Carmina Illuſtrium Poetarum Italorum. Florentiæ* 1722. *in* 8. *Tom. IX. p.* 39.

RIME. Memorantur in loco citato a clariſſimo Creſcimbenio, qui in Tomo III. Hiſtoriæ Poeſis editæ *Venetiis* 1730. *in* 4. *pag.* 214. Unum Carmen vulgo Sonetto dedit, cujus initium eſt ſequens

*Non baſta a Donna bella appariſcenza.*

Alios ipſius Rythmos monet ipſe idem Creſcimbenius extitiſſe penes Bargiacchium.

THOMÆ SENECÆ MONITA RHETORICÆ. Codex membranaceus MS. in 4. pag. 86. ſcriptus Æſii an. MCCCCXXII. Vidi in Bibliotheca Cardin. Tamburini egregiæ memoriæ; cui uni tantum me debere fateor quantum omnes: nec Sanctiſſimo Viro, quoad vixero, æternam requiem precari unquam deſinam.



[a] Creſcim. Storia della Volgar Poeſia Tom. 3. edit. Veneta per il Baſegio 1730. in 4. pag. 214. *Seneca di Camerino, che per lo ſuo coſpicuo ſapere fu detto Maeſtro tra buoni Rimatori ſeguaci del Petrarca ottenne onorato luogo ec.* (b) Quadrio Storia e Ragione d' ogni Poeſia Vol. 11. pag. 195.

## AD VIRUM OMNIUM PRÆSTANTISSIMUM COSIMUM MEDICEM SPEM, ET REFUGIUM SUUM.

*Ex Collectaneis Carminum Illuſtrium Poetarum Italorum Tom. IX. Florentiæ 1722. in 8. apud Joannem Cajetanum Tartinium, & Sanctem Franchium pag. 39.*

COſme tuas animo ſi parvo implere licebit.
Exequar has laudes, quas primis orſus ab annis
Forte aliud faciens volvebam in teque, tuoſque;
Nec mea de multis, quibus hic tibi conſonat aer.
Undique fors fuerit manca, & poſtrema Camæna,
Inque tuos titulos felici creverit æſtu
Fortis amore tui, fortis pietate, fideque;
Nam ſi pace loqui fas eſt Regumque, Ducumque,
Quos habet hæc Ætas. notus quos extulit orbis,
Nemo eſt te melior, nemo eſt te dignior uno
Carmine vatiſono; vel pulvinaribus altis,
Cujus ab auſpiciis fato impendente levata
Chara tibi imprimis patria, & fulgore, boniſque
Artibus in toto facta eſt illuſtrior orbe,
Nec quiſquam ex alto quantum ſol aureus orbe
Deſpicit, eſt alter Civis felicior ullus,
Libertate potens, opibus ſublimis, amicis
Commodus, ac gemino Natorum pignore fultus,
Eloquio inſignis, vivendi exemplar, amorque
Humani generis, patriæ Pater inclytus altæ,

Qui

Qui Divos, hominéſque tuo connectis honore.
Me quoque, cui pridem adjutor, dexterque fuiſti,
Reſpice quæſo ſenem, ſed adhuc ardente ſenecta,
Et præſta, ut valeam ſupremæ tempora vitæ
In faſtos, cumulumque tuæ componere laudis;
Sic tibi cuncta pio ſuccedant Numine vota.
Nullaque non ætas ſtudeat meminiſſe tuorum.



Digitized by Google

# JACOBUS SENTINIUS RECANATENSIS.

JAcobus Sentinius Recinenſis a me ſemper cultu quodam & honore dignabitur, quoniam iſtius paucos pares Recinetum tulit. Ipſe perperam a Calcaneo in Hiſtoria Recanatenſi pag. 231. Jacobus Lentinius appellatur, & Sæculo XVI. nomen dediſſe aſſeritur. Miror quod Didacus Calcaneus doctiſſimus Vir, qui tam ſcite Patriam hiſtoriam novit, quæ ad ipſum quoquo modo ſpectabant, neſcierit. Jacobus Sentinius, Jacobo Gaſparis, Viro in omni virtutum genere probatiſſimo, & Civi ſuo, nuncupavit Libellum *De quibuſdam Liricis Carminibus*. Jacobus Gaſparis Calcaneorum Familiæ in citata Hiſtoria pag. 245. adſcribitur ab eodem Didaco; unde ignorare minus debebat Ipſe, quod longe ante Jacobus Sentinius non Lentinius vixerat, & quod *Appendix de quibuſdam Liricis verſibus* Jacobo Gaſparis Majori ſuo dicata fuerat, & Typis cuſa pluribus annis antea quam anno 1520. Minus accurata videtur eſſe mihi Arbor illa, vulgo Genealogica, ubi de Gente Calcanea, relata in eadem Hiſtoria pag. 276. Gaſpar Calcaneus, qui Poggio Florentino operam dedit in Urbe Florentiæ, a quo Familiæ ornamentum, ac decus effluxit, erat Vir omnium elegantiſſimarum artium tum Græcarum, tum Latinarum exculti ſſimus, prout nos monent ejus opera, quæ remanent, & extant in Bibliotheca Caſanattenſi Urbis inter Codices MSS. in quadam Miſcel-

Miſcellanea Sæculi xv. n. 8. pag: 115. & ſeq. quam mihi viſendi copiam fecit Adm. Rev. P. Mag. Audifredius illius Bibliothecæ meritiſſimus Theologus, & Cuſtos, Vir in omni doctrina, & præſertim in Matheſi, ac reconditis litteris eximius. Ab eo multis ſum beneficiis provocatus, cum ad dictam Bibliothecam ſtudii gratia itarem, & ideo ſemper pro iis habebit me gratiſſimum debitorem. Gaſpar ergo nupſit an. 1464. Polixenæ Capotoſtiæ, ex qua ſibi ortus eſt Jacobus; ex Jacobo vero Marinangelus. Hoc dictum velim, non ut Culcanei Hiſtoriam carpam, ſed ut quiſque mihi de Sentinio dicenti, minime fidem deroget. Jacobus Sentinius ergo vixit longe ante quam docet Calcaneus; quoniam prout ipſe idem aſſerit in Epiſtola nuncupatoria ad Jacobum Gaſparis, in Patria anno 1480. Antonium Bonfinium Patrinionenſem, aliis Aſculanum, Magiſtrum, & doctorem celeberrimum audiit; conceſſit deinde Venetias ut Philoſophiam ediſceret, & ibidem Paulo de Godiis Pergulenſe, Nepote illius Pauli celeberrimi Philoſophi, Præceptore uſus, multum in litteris profecit, & præcipue in Poeſi; nam Paulus Secundus de Godiis fuit æque Philoſophus, ac Poeta celeberrimus. Quamobrem effectum eſt ut Sentinius poeticæ facultatis peritiſſimus evaſerit, ac penitus omnia ejus artis præcepta, noverit: Ita tamen ut magis æſtimator metuendus eſſet quam Poeta admirabilis. Quæ didicit poſtea & ipſe Venetiis, Lipſiæ, aliiſque in Germaniæ Oppidis Pueros docuit; ubi & quo anno mortalitatem expleverit reſcire nequivi. Edidit ſequentes Libros

*Tractatus Jacobi Sentini Recinenſis de quibuſdam Liricis Carminibus ſcilicet Saphicis Adonicis Aſclepiadeis Phaleuciis, & Jambicis:* extat cum Jacobi Publicei Florentini Epitome Rhetoricæ *Venetiis* 1486. & *Liptzich per Jacobum Abiegnum Ann. Sal. noſtræ* 1498. *in* 4. cum Hamiferi Henrici ludo, & Franciſci Mataratii de Carmine exametro. & penthametro &c. Joſias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Getſneri edit. Tiguri* 1583. *in fol. pag.* 385. ſic hujus operis meminit = *Jacobi Sentini Recinenſis Appendix de quibuſdam Liricis verſibus impreſſa Norimbergæ An.* 1520. *cum neſcio quo Poemate* = Simlerus an intelligat hic de Poemate ejuſdem Sentini, vel alterius Poetæ, divinent alii: nuſquam Norimbergenſem editionem vidi.

CARMINA plura atque plura quin Sentinius ediderit, non dubito. Vidi Diſtichon unum, duo Epigrammata, & Elegiam in fronte Libri, cui titulus = *Compendium perclarum ad introductionem Juvenum in facultate Logicæ. Venetiis per Baptiſtam de Tortis* 1486. *die* 13. *Septembris in* 4. & *Venetiis per Jo: Baptiſtam Seſſa* 1501. *ultimo kal. Decembris in* 4. Alia edita vidi cum operibus Jo: de Sacroboſco abſque nota anni, loci, vel Typographi, & in Tomo IX. pag. 40. Carminum Illuſtrium Poetarum Italorum. Florentiæ

JACO-

# JACOBUS SENTINIUS RECANATENSIS

*In laudem operis Calendarii a Johanne de Monte Regio Germanorum decoris noſtræ ætatis Aſtronomorum Principis. Ex Codice Palatino modo Vaticano num.* 1384. *pag.* 8. *Editum eſt hoc Carmen cum operibus Jo: de Sacroboſco in* 4. *pag.* 118. *Item inter Carmina Illuſtrium Poetarum Italorum Florentiæ* 1719. *in* 8. *Tom. IX. pag.* 40.

Eſperides hortum Vatum tenuiſſe Puellas
 Omnis & heſperia grajaque turba canit
In quo fulva ſimul ramis fulgentibus arbor
 Prebebat Dominis aurea poma ſuis.
Hortulus ille mihi liber eſt hic crede latinis
 Nam non eſt toto hoc ditior orbe liber
Cujus ſi flava cupias ex arbore Lector
 Una poma leges aurea mille die
Aureus hic numerus quod tanto nomine dignus
 Effecit Cæſar Julius auctor opus
Tempora Romanis gentes quibus era ferebant
 Quæ proprium nomen inditionis habent
Intervalla Cyclus ſunt hic, & Apollinis alti
 Monſtratque & Domini littera certa diem.
Hinc Phætonteos poteris cognoſcere motus
 Motus, & Phæbes hinc tibi noſſe licet.
Adde etiam Phæbi pariter Lunæque labores,
 Quos qui ſcire volent hinc bene ſcire queunt.

Hic tibi vel Titan cum jungitur ipſe Sorori
Oppoſituſve manet conſpiciendus adeſt.
Hic quibus in ſignis Phæbus, vel Luna vehatur
Edocet, ambobus dat ſua lora liber.
Hic tibi horizonte, & deſcendant horrida ſigna
Aſcendantve quibus monſtrat in arte modis.
Hic quam quæque dies Phæbo fulgente trahatur,
Quamque brevis maneat, ſtat tibi quæque dies
Hic modo inequalis, nec non æqualis haberi
Hora, quod & quadrans noſcere poſſe docet
Hic etiam tabula eſt qua conſtant omnia cunctis
Urbibus, Europæ hæc datque, trahitque gradum
Hoc Germanus opus Regio de Monte Johannes
Compoſuit, patriæ nomen, honoſque ſuæ
Qui fuit, & Rhetor ſummus, qui ſolus & alto
Aſtrorum doctor verus in arte fuit.
Qui fuit & Vates celebris, cui ſemper abunde
Et latia eloquium, Grajaque lingua dedit.
Multa viris latiis juvenis monumenta reliquit
Scribere ſed nobis dum meliora parat;
Ah ſcelus infandum! ſecuit ſua fila Sororum
Una trium celeri vipera ſæva manu.
Notus in Italia eſt, & qua regione potentes
Mergit Equos Phœbus, naſcitur unde ſimul.

*Idem ex Tractatu de quibuſdam Lyricis Carminibus laudans opus Franciſci Mataratii.*

Quiſquis amas Vatum cantus: vel quiſquis anhelus
Tendere Pieria lætus in aſtra via

Hac

Hac ſit iter: ſcripta hæc Franciſci perlege docti
Compos tu voti ſi cupis eſſe tui.

*Idem Ibidem.*

Carmina quiſquis amat ſacro pertincta liquore
Scribere grandiloquum perlegat iſtud opus.

*I. Ibidem.*

Verſus ſcribere qui cupit liquore
Tinctos Pyerio Thalia vel quos
Dictat Vatibus arma. qui corymbo
Cingunt tempora fonte cum biberunt
Undas Cornipedi volantes alte
Pulli: perlegat apta ſcripta paſſim
Franciſci numeris Viri diſerti.

FRAN-

## FRANCISCUS GUARNERIUS AUXIMAS.

NObilitas Gentis GUARNERIÆ Auximatis dicacioribus hominibus minime eſt obnoxia, quoniam a limpidiſſimo fonte emanat, & ex ea omni Ævo Viri ſingulari officio in Auximatum Rempublicam proceſſerunt. In Patria ii Apocleti, & in toto Orbe doctrina, & virtutibus multum dignitatis, & ſplendoris ſunt aſſequti. STEPHANUS ab Epiſtolis Martini Papæ V [a]. CENSORIUS Abbas S. Mariæ in Potentia (b). GUARNERIUS Epiſcopus Signinus, & Recanatenſis (c). STEPHANUS alter Peruſinorum ad Pontifices Orator (d). FLAMINIUS Poeta maximus (e): Necnon CÆSAR, PROSPERUS, HONORIUS Equites Hieroſolymitani ſub annis 1564. & 1640 Bellatores ampliſſimi, qui a quamplurimis hiſtoricis, aliiſque laudatis Viris celebrantur [f]. Attentare me velle inſidiis fidem Lectoris hic forſan aliquis arbitraretur, ſi quæ ſuperſunt de Warneriis Marchionibus Camerinenſis, ac Anconitanæ Marchiæ, Monumentorum haberem recordationem. Siquidem conſtans fama eſt ab iis Guarnerios Auximates originem duxiſſe, quod tamen non liquet. Unum ſat perſpectum eſt, nec in dubium umquam poterit

(a) Calcagn. Storia di Recanati pag. 150, [b] Martorelli Storia d'Oſimo p. 497. & Calcag. p. 150. [c] Ughellius Ital. Sacra T. 1. col. 1242 [d] Pellinus Storia di Perugia cart. 805. & P. degl' Agoſtini de' Scrittori Veneti T. 1. pag. 197. [e] Cinus Campanus Serm. 2. Allac. Dram. col. 465. & 497. Quadrius Storia, e Ragione d'ogni Poeſia vol. 3. Par. 2. pag. 89. (f) Martorel. Stor. d' Oſimo pag. 446. Calcagni Stor. di Recanati p. 150.

poterit revocari, ſcilicet ex hac Gente omni Ævo tum militia, tum doctrina ſpectatiſſimos Viros prodiiſſe. Hodiedum vivunt Clariſſimi Viri Eques FRANCISCUS Guarnerius Hieroſolymitanus Miles, necnon Comes AURELIUS ejus Germanus Frater mihi in primis cariſſimus, quia omnia officia amicitiæ ſervat, & quia oratione limatus, moribus caſtus, lepore, ac venuſtate affluens, amœniores litteras, & præſertim quæ antiquitatem ornant, avidiſſime arrripuit. Pauci ad Eum poſſunt aſpirare, pauciſſimi ad FRANCISCUM GUARNERIUM, tamquam unum, qui Sæculo xv ingenio floruit, & ampliſſimos dignitatis gradus eſt adeptus.

Franciscus Guarnerius Jacobi Filius honeſtiſſimus inter ſuos numeratur; nam Auximi ortus, bellum voluptatibus indixit, & ſeſe totum ſtudio aſſeruit. Ab Auximatibus Conſulibus anno 1461. ſelectus fuit *tamquam Civis Oriundus de Civitate pro manutentione, & conſervatione Communitatis in Sapientia Almi Studii Peruſini:* [a] unde ibidem Utrique Juri operam ille dediſſe creditur. Anno vero 1466. Marcum Barbum Pauli II. Pontificis Maximi Nepotem, Vicentiæ Epiſcopum, & ideo Cardinalem Vicentinum nuncupatum, convenit, & ei quouſque vixit, Secretarius inſerviit (b). Erat Cardinalis Barbus Vir omni virtutis genere præſtans., & favens ingeniis: unde unice Guarnerium amabat, & ideo in Conclavi habito poſt obitum Pauli

(a) Ex Libris Reformationum Auximi 8. Januarii 1461 pag 23 24. & 29. (b) Ex Epiſt. Philelphi & ex Dedicatoria Epiſt. Perottı

Pauli II. Eum ſibi comitem eſſe voluit, & ampliſſimis honoribus decoravit. Guarnerius Scriptoris Apoſtolici munere, item & altero Abbatis Commendatarii S. Nicolai de Auximo fuit honeſtatus, quia non minus expoſitus, plenuſque humanitate Ipſe erat, ſed & fortunis maximis, & omni doctrina ornatus: Franciſcum Philelphum, Nicolaum Perottum, alioſqne doctiſſimos Homines, & Principes Viros ſibi ad amicitiam adjunxit. Philelphus ingenium vigilantiſſimum, & acerrimum Franciſci Guarnerii in tot ad ipſum datis Epiſtolis ſatis ornate commendat [a]: Ita & Perottus, qui Guarnerio Auximati nuncupavit Libellum, cui titulus = *In C. Plinii Secundi Proemium Commentariolus* = Ni potius dicam = *Liber adverſus eos, qui temere corrigunt errores Veterum Librorum* = prout habetur in Codice Vaticano Urbinaten. num. 297. pag. 49. Ex hoc Codice Autographo manifeſte apparet Antonium Morettum Plagiarium hunc librum ſibi a Perotto inſcriptum, mendoſe dixiſſe, prout notat clariſſimus Zenius

[a] Philelphus Epiſt. edit. Venetiis 1502. Lib. 28. pag. 188. = *Excita non ingenium quod & vigilantiſſimum tibi eſt & acerrimum ſed voluntatem &c.* = Idem Lib 31. pag. 211. = *Franciſcus Philelphus Franciſco Guarnerio Auximano ſal. Videor mihi liquido perſpicere, quam ſacis Philelphum tuum, qui te meritis tuis diligit vehementer:. nec item me latet quantum, & auctoritate, & gratia vales apud tuum ampliſſimum Cardinalem Vincentinam &c.* = Idem inter Epiſt. Famil. pag. 186. *Cum mihi nuper eſſet renunciatum, & bene valere te, & apud Reverendiſſimum Pontificem VicentinumSecretarium gerere lætatas ſum &c.* = Idem Epiſt. Lib. 30. pag. 210. Lib. 31. p. 215. Lib. 32. p. 222. & alibi.

Zenius in Diſſertationibus Woſſianis T. 1. pag. 271. & alibi; nam ibidem habetur Epiſtola Perotti, qua Franciſco Guarnerio Librum dicavit, & incipit. = *Solebam nuper Ætati noſtræ gratulari mi Franciſce &c.* = Ad perſpectam habendam Franciſci noſtri doctrinam, ſatis eſſet dixiſſe ſibi neceſſitudinem cum doctiſſimis Viris Franciſco Philelpho, & Nicolao Perotto, interceſſiſſe; Attamen præter hæc, remanent de illius ſcientia alia, & alia indubia Monumenta; nempe Poematia, vel expreſſa ad verbum de Græcis, vel latino Sermone Vicentiæ per eundem decantata. Hæc ipſe ego exſcripſi ex duobus Codicibus Sæculi xv. & nunc primum publici juris facio. Carmen de Amore fugitivo, quod ex Græco ignoto Auctore Guarnerius latine vertit, & Alfano Severo Peruſino dedit anno 1463., cum nuncupatoria Epiſtola, quam V. C. Marcus Antonius Talleonius edidit in Libro ſuo = *Notizie intorno al Sangue Miracoloſo ſcaturito nel Secolo XIV. da un Crocefiſſo dipinto nel Muro nell' antica Chieſa di S. Niccolò d' Oſimo. In Oſimo 1762. in 4. Nella Stamperia di Domenico Antonio Quercetti* = Angelus Politianus, & ipſe interpetratus eſt (ut inquit) e græco Moſchii, & habetur inter Carmina Politiani edita Pariſiis 1519. fol. 98. Pace tamen Politiani dictum velim, quod Guarnerius, elegantius, & omni Venere, omnibuſque verbis Græci Auctoris ſenſum expreſſit: unde Torquatus Taſſius Poeta Maximus in Paſtorali Comœdia *Amynta* imitatione Guarnerii interpretationem

nem aſſequitur. Utinam exiguum Franciſco vitæ curriculum natura haud circumſcripſiſſet, nam plura ipſius Carmina Pieria liquefacta lyra modo non deſiderarentur. Nec tantum amæniores ille, ſed litteras interiores & reconditas, & maxime jura callebat; unde evenit Montisſani Conſules, alioſque de Monte S. Mariæ in Caſſiano anno 1475 Ei tamquam communi Amico, & Patrono promiſſum feciſſe de quadam finium lite, quam ad invicem intenderant, & ambarum Partium ſatisfactione controverſiam Franciſcum diremiſſe compertum eſt. Siquidem exiſtimatione florebat apud omnes Guarnerius, & magni erat apud Pontificem Sixtum IV. a quo Clericus Cameræ Apoſtolicæ, & Canonicus Cathedralis Auximanæ fuit renunciatus. Graviſſime errat Calcagnius in Hiſtoria Recanatenſi pag. 150. aſſerens id muneris ſibi a Sixto V. fuiſſe impertitum. Narrat Calcagnius quæ ſunt contra rationem temporum, & ei fidem abrogant, ni velimus dicere Typographi eſſe mendum, quod loco Sixti IV. Sixtus V. habeatur. Ita & dubito de Martorellii fide aſſerentis Franciſcum fuiſſe Secretarium Cardinalis Agrigentini; nam Guarnerius noſter dum in ſpem amplioris dignitaris erigitur, liquit Animas anno 1478. quod explorate ſcribo, & confirmatum habeo a doctiſſimo Talleonio in Libro ſuperius citato, ubi plura de Franciſco Guarnerio intelliges, & uſque ad ſatietatem.

Franciscus Guarnerius Auximas differt ab altero Franciſco Guarnerio Artenenſi, qui uno eodemque

demque tempore vixit, & omni doctrina ornatus ampliſſimam Bibliothecam inſtruxit, quæ hodie in Forojulienſi Abbatia S. Danielis ſervatur. Iſtius meminit Doctiſſimus Antonius Sambuca in Libro = *Memorie Iſtorico-Critiche intorno all' antico Stato de' Cenomani. In Breſcia* 1750. *dalle Stampe di Gian Maria Rizzardi pag.* 419. = Seu verius Clariſs. Vir Joſeph Bartolius Patavinus in Libro = *Conſiderazioni del Sig. Giuſeppe Bartoli ſopra l' Elegia di Catullo ad Januam* =. Me haud piget illius verba hic referre ad Eminen. Angel, Quirinum, ut de Guarnerio Artenenſi quiſque ſingula ſcitu digna intelligat: ſic ergo Bartolius vulgari Sermone ait
„ *Queſto illuſtre Perſonaggio, a cui dà il Volpi nel-*
„ *la ſua Prefazione al ſuo Comento di Tibullo il*
„ *nome di Franceſco, quando pure V. E. in uno de'*
„ *luoghi dallo ſteſſo colà citati aveva avvertito, che*
„ *in priſcis chartis nunquam ſi legge. Bibliothecam*
„ *conſtituit qua nulla digniſſimi Patris Cardinalis*
„ *Niceni, & omnium quibus ipſam videre contigit*
„ *judicio in univerſa Italia, & Orbe celebrior. Per*
„ *mezzo di Lei altresì ſappiamo, che nel* 1448*:*
„ *Guarniero era Vicario Generale del Patriarca d'*
„ *Aquileja, il quale lodandolo nel* 1451. *ex longeva*
„ *rerum experientia ci dà non leggieri indizj della*
„ *matura, o Senile età del medeſimo, maſſimamen-*
„ *te da che ci è noto Matrimonio junctum fuiſſe pri-*
„ *ma di potere col Sacro Abito meritarſi gl' Encomj,*
„ *e l' autorità novamente allor conferitagli. Se oltre*
„ *al* 1457. *nel qual anno gli ſcriſſe un Signore di*
„ *Spi-*

„ *Spilimbergo, egli ſia viſſuto; l' ignoro* „ Ex his colligimus non ſatis conſtare utrum Guarnerio Artenenſi fuerit Franciſci nomen. Forſan Vulpius, qui primus omnium Artenenſem Guarnerium Franciſci nomine appellavit unum cum altero commutavit. Id ego, non ſi ſciam, dicere auſim.

*Græcum*

Digitized by Google

*Græcum Poema ſine certo Auctore a* Francisco Guarnerio *translatum. Ex Codice cartaceo MS. in 4. penes Carolum de Blanchis pag. 252. & ſeq. & ex altero penes DD. Stellutios Roccontradenſes Clariſſimi Franciſci Stellutii Hæredes. In Codice Vaticano 2874. pag. 41. tergo Carmen hoc Franciſco Mataratio adſcribitur. Codex Vaticanus ſcriptus eſt antequam alios duos Codices ſupradictos, & nonnulli verſus differunt ab his, quos damus.*

ERrantem genitrix dum Cypria quærit Amorem
Sollicito tales fundit de pectore voces:
Amiſſum indicio quiſquis monſtrarit aperto:
Munera grata quidem (meus eſt fugitivus) habebit.
Huic merces Veneris ſunt oſcula: duxerit illum
Qui mihi non capiet nuda oſcula verum aliquid plus.
Bis denis puerum facile eſt cognoſcere ſignis
Candor abeſt: totoque imitatur pectore flammas;
Ardenteſque micant oculi: mens ſubdola: ſermo
Dulcis: non eadem ſentit: loquiturque Cupido:
Vox ſuavis ceu mel: ſed ſi furor impulit illum
Ruſtica nimirum mens eſt: deceptor & idem
Nunquam vera loquens: Puer improbus aſpera ludit:
Crinitum caput eſt: facies ignara pudoris
Utraque parva manus: longe jacit & ferit ipſum
Triſtia ſub terris penetrans in Tartara Ditem.
Corpora nuda patent ſemper: mens abdita ſemper;
Ipſe levis levibus (volucris ceu) cingitur alis:
Stare loco neſcit: nunc hos: nun fertur ad illos:
Huc volat atque illuc: nec Vir: nec fœmina tuta eſt

H Viſce-

Viſceribus penituſque imis ſedet inde medullis.
Arcum leva brevem nimium tenet: & ſuper arcum
Parva ſagitta quidem: ſed quæ uſque ad ſydera tranſit.
Aurea de collo pendet per terga pharetra.
Sunt triſtes intus Calami: me ſæpe parentem
Quis petit: & tociens audax mea pectora figit:
Omnia ſunt Puero, ſunt omnia dira, ſed ipſo
Dirior eſt multo, quam ventilat ignea lampas.
Hac etiam rapidum potis eſt accendere Solem.
Si prendas: prenſum domitum trahe: nulla trahentem
Te moveat pietas. Flentem ſi videris unquam
Ne fictis capiat lachrymis te forte: caveto.
Riſerit: ipſe trahes: volet oſcula jungere forſan:
Noxia ſunt fugito, teneris aconita labellis
Accipe ſi dicat: noſtra hæc tibi largior arma
Igne madent: ne tange miſer fallacia dona.

*Finis. Vale.*

Juppiter iratus nimium Junone ſiniſtra
 Dum queritur ſacri fœdera rupta tori:
Dum dolet apulſa, rabiem dum colligit Hebe,
 Phrix puer e ſummi pellitur arce poly.
Dulcia qui nivea porrexit pocula dextra
 Triticeas nubes, proh ſcelus ecce facit.

*Genetliacum in recens natum Joanni Mariæ Aureolo Filiolum Amico incomparabili. Ex Cod. cartac. MS. in 4. penes Hæredes Cl. Franciſci Stellutii.*

Quid ceſſas mea Calliope: quid munera differs
Luſtrato ferre infanti: quem caſta marito
Perſimi-

Perſimilem genuit Conjunx: licet illa dolores
Paſſa graves nimium: licet ultima morte propinquâ
Fila pio Lacheſim properantem flexerit ore.
Forſitan expectas feſſæ ſoteria Matri
Quæ mittam: monumenta animi: charique ſodalis
Indicium Aureolo: qui me eſt complexus: ut olim
Theſea Pirithous: Pyladem ſic junxit Oreſtes
Dulcia forte petis bellaria: forte Placentas
Libaque zacchareo poſcis condita liquore.
Num quos Eunuchos reddit gula forte requiris
Anguſta paſtos cavea ſegneſque ſagina
Tecum ferre capos? pauci quæ dona beatis
Digna puerperiis: ſoliti ſunt tradere lauti
Ulla ne Caſthaliis quiſquam dabit æmula plectris
Munera? Carminibus certet vel divitis unquam
Ripa Tagi? certet flavis Pactolus harenis?
Corniger & rutilo qui labitur amne lycormas?
Quicquid Arabs foelix: quicquid ſcrutator Eoi
In latium miſit Pelagi: quicquid fodit Aſtur
Pallidus: Illyricis quicquid dementibus olim
Advectum eſt: vincunt Muſæ, facileſque Camœnæ
Cedere carminibus Regeſque Duceſque fatentur
Nil magnos ſuperat Vates: quos Phœbus, & Euhan:
Reſpicit & placido volucer Tegeæticus ore.
Doctaque ſepoſita complectitur ægide Pallas.
Omnia ſint tenebris: fœdaque caligine merſa:
Omnia letheis pereant: ſimul obruta lymphis:
Ni celebrent ſacri fœcundo pectore Vates:
Et tribuant nullo caſurum nomen in Evo.
Tu tamen expectas puero: caſtæque parenti

Quæ præter veſtris modulatum carmen in antris
Dona feras: Meus excipiet te fronte ſerena
AVREOLUS: novit ſcio te: nam ſæpe receſſus
Intrat pierios. Phœbeo & concitus oeſtro
Voce, manuque canit: q̄d nec Parnaſſia rupes
Spernat: Corycii nec damnent Numina ruris,
Ergo alacris propera tacito pede tecta ſodalis
Exupera: in caſtum ſubito penetrale recepta
Molli compoſitos ſponda: ſtratiſque jacentes
Purpureis: Dominam aſpicies partumque recentem
Forſitan & dulci genetrix dabit ubera Nato
Protinus accipiant leni te fulcra volatu
Dextra parte tori: atque illic ſublimis, & hærens
Enthea plectra meve; & carmen cane: q̄d probet alto
Juppiter auditum ſolio; levumque repente
Per ſudumque tonet: Jubeatque inſculpere duro
Concordes adamante Deas: fixumque ratumque
Eſſe velit: ſemperque hujus meminiſſe nepotes.
Audiat hæc hilari formoſa puerpera vultu.
Digna Viro Conjunx: dignis conjuncta hymeneis
Non poterat naſci, quondam niſi Matre perempta
Euohius ut ſeptem claudentes Penthea portas
Sterneret: & merita Væſanum cæde Lycurgum
Utque triumphatis victor remearet ab Indis
Nec tuus hic infans mutæ qui murmure vocis
Vagituque rudi: Nati teſtatus amorem:
Lumine te placido aſpexit: charumque parentem:
Prodire in lucem potuit: cœlumque tueri:
Atque aurea veſci Ætherea: niſi pallida leto
Vicino genetrix nimio & perculſa timore

Immi-

Immiteſque Deos: crudellaque aſtra vocares.
Sed formam miſerata tuam: miſerata juventam
Nec longos gemitus: juſtas nec paſſa querelas
Conjugis Avreoli ulterius: facilisque, libenſque
Ilithyia tuas Cœlo deſcendit in ædes:
Expulit & ſubito quos fecerat ipſa dolores.
Ergo age lætitiam: & vitam manſura peromnem
Gaudia concipias genitrix q̄n irrita nunquam
Vox mea facta prius: lætetur pectore toto
Avreolus: ſignetque diem meliore lapillo
Auctus prole nova creſcet mihi credite creſcet
Ingenio, & virtute puer: tranſcendet & annos
Ipſe ſuos: non æquali tenereque Catervæ
Pungere ſe optabit multumque relinquet ephæbos
Ante diem: Juveniſque ſenes probitate laceſſet:
Non tamen aut curvæ nudabit membra paleſtræ
Aut jaculo & celeri aſſueſcet certare ſagitta
Non ſaltu: aut crudo cupiet contendere cæſtu
Non rapidos premet hic currus: non terga fugacis
Conſpiciendus Equi: non ſe ſe oſtendet in armis
Nec ſua captando jam conteret ocia piſce:
Non Urſos, Cervoſque leves: Capreaſque fugaces
Fulmineoſque agitabit Apros: non improba vincet
Argentique aurique ſitis; ſed pectore toto
Spirabit Phœbum aoniis nutritus in Antris
Lacte meo: diſcet culti prius orſa terenti:
Facundique ſales genuit quem Sarſena Vatis.
Inde leves Elegos: Senecæ mox æqua cothurno
Scripta Sophocleo: hinc ſacri ſublime Maronis
Volvet opus: Grajos ſtudioſo pectore fontes

 Hau-

Hauriet: Aſcreum Vatem Siculaſque Camœnas
Mæoniumque Senem: primis mirabitur Annis.
Mox ubi jam puero accedet maturior Ætas
Percurret quicquid grai ſcripſere Poetæ:
Quicquid & Auſonio cecinit gravis ore Thalia
Hiſtorias avidus magnorum & clara Virorum
Facta leget: magni quotiens Ciceronis ad undam
Quæ largo fluit Amne ruet: facunda Platonis
Dogmata & in Trutina: ſtagyra ſuſpendet eadem
Perquiret rerum cauſas: Cœlique meatus:
Præcipue ſacræ diſcet præcepta Sophiæ
Cecropio patefacta ſeni: nam primus ab alto
In terras, populoſque ſimul deduxit olympo.
Ac veluti in pratis vario de flore coronam
Texunt virgineæ, cum laſcivire Camænæ
Conceſſum eſt alacres: capitique imponere gaudent
Sic meus hic Vates maturos undique fructus
Colliget: inque Animi condet, mentiſque receſſu.
Interea modo Pindaricis canet Æmula plectris
Et modo Battiadem referet facilemque Tibullum
Poſt dabit Heroo Carmen ſublime cothurno
Quod nunquam rigidi Cenſoris lima notarit
Quod magis, atque magis cupiant laudentque Nepotes
Mygdonii Pyliique Senis precor impleat Annos
Implebit certe terram: Mare: Sydera: fama
Utque ſuo fœlix gaudet Verona Catullo:
Mantua Virgilio: ſic ſe Vicentia Vate
Jactabit quondam Aureolo. Quem protinus ipſo
De Matris ſumptum gremio perducet ad undas
Caſtalias: ſacrumque nemus: blandoſque receſſus
FRAN-

FRANCISCUS Cultor latiæ, grajeque Camenæ
Quem legum interpres laudataque Milite forti
AUXIMA progenuit tellus: VARNERIA Proles.

*In altero Codice.*

q̄n ll interpres laudatus Milite forti:
AUXIMA q̄ genuit tellus: VARNERIA Proles. (a)



(a) Codicum varias lectiones duxi exſcribendas, ut quiſque cognoſcat an aliquid in carmine deſideretur nec ne. Ni mea me fallit opinio, Franciſcus Guarnerius hic dicitur *Proles Varneria laudata Milite forti*, quoniam Warnerius auctoritate Henrici Imperatoris Marchiam invaſit, Dux & Marchio Regionis extitit, prout locuples teſtis eſt Muratorius *in Annal. ad an.* 1095. *& in antiq. Medi Ævi Tom.* 2. *col.* 1045. De Warneriis Marchionibus Marchiæ, conſule Annales Camaldulenſes *in T* 3. *Lib.* 21. *num.* 20. & Clariſſimi Turchi Librum *De Epiſcopis Camerinenſibus p.* 155.

Guarnerios Auximates processisse ex dictis Warneriis
Marchionibus Marchiæ liquido apparet ex quadam
Pergamena quæ hodiedum extat in [illegible] Tabulario
Nob. Oppidi S. Genesii in Piceno, ex qua habetur
qualiter Marchuardus in obsidione Rocæ [illegible]
Anno Domini 1199. Ind. [illegible] Kal. Septembris re-
gnante Dno Philippo Illmo Rom. Rege anno eius Regni [illegible]
attendens fidelia servitia quæ dilectus fidelis noster
Gualterius Guarnerii Marchionis filius exhibuit dedit
concessit et confirmavit ei et suis heredibus [illegible]
[illegible] feudum Castrum S. Genesii, et Castrum [illegible]
Castrum Montis Franconi et ECCLESIAM S. MARIAE de
[illegible] cum ipso CASTRO [illegible] in Diœcesi Auximana
et omnium [illegible] deinde [illegible] GUARNERIIS
[illegible] et concessio [illegible] seu [illegible] Filiorum Guarnerii GUAR-
NERII PROCESSERE [illegible] et deinde AUXIMATES [illegible]
quorum [illegible] etiamnum commorantur

# MACCARIUS MUTIUS ÆQUES CAMERS.

*Ex Codice Vaticano* 2836. *pag.* 99.

Aurea perpetuo fulgebant Sæcula vere,
 Pictaque ſub vario flore nitebat humus
Ocia tranquilla ducebant pace: nec arma
 Norant & ſævas bella ciere tubas

Nunc

Maccarii Mutii Camertis meminimus ſupra in pag. 23. ubi habes Epigramma, quo Lazzarellii Poema de Faſtis Sacris laudatiſſime Mutius probat. Lazzarellius Officiorum viciſſitudine in Libro V. de Faſtis Sactis Maccarium in Cœlum extollit, inquiens, corpore parvum, ingenio tamen maximo eum fuiſſe. Non piget hic referre nonnulla ejuſdem Lazzarellii carmina exſcripta ex dicto Libro V. de Faſtis Sacris; ut *hiſtoriæ* litterariæ Amatoribus morem geram; nam ex his intelligent ipſi, qualiter in feſto die Sancti Victoris conveniebant inter ſeſe Accademici Pomponiani, & multorum ex ipſis nomina habebunt. Ibidem ergo ſic

*Lux eadem tibi Victor adeſt cum ſacra refarcit*
 *Annua, cum mortis præmia Victor habes*
*Hac celebrata die ceſſere Palilia; nunc te*
 *Victor habet: dederat quæ ſua liba Pali;*
*Exquiliis te Roma colit; te convocat Aris*
 *Ante alios Vatum dulce Sodalitium.*
*Perpetuos illis lauri; da frondis honores.*
 *Et Phœbi, & Bachi tu loca Victor habes*
*Huc ades & numera per ſingula nomina Vates*
 *Calliope: ut recolat nomina poſteritas,*
*Dum loquerer circum arriſit jucundior æther*
 *Protinus; & ſenſum fovet amicus odor.*
*Sic flagrare ſolet florentibus; uva racemis*
 *Congeries redolet ſic morientis Avis.*

*Spectho*

Nunc quoque Romã tibi fælicia ſidera fulgent
Aſpicis ut brumæ tempore vernat ager:
Ut paſſim violas fundit: teneroſque jacinthos
Ruraque conſpicuo veris honore virent.

Arma

---

*Spectv novem circum Muſas; nec deerat Apollo*
*Qui medius Cytharæ ſtamina ſollicitet.*
*Vox fuit hæc: reſonam per vocem cognita nobis*
*Calliope nulla eſt carmine grata magis:*
*Singula adeſſe ſolet cum Vatum voce vocamur;*
*Aonidum hic voluit totus, adeſſe Chorus.*
*Quæque ſuum noſcens non aſpernatur Alumnum*
*Et Vatum hic coetus commemorandus erit.*
*Adſumus: & læta celebramus nomina Vatum:*
*Aonidum alloquii credita ſumma mihi eſt.*
*Ordiar, & certus non eſt mihi carminis ordo*
*Quiſque alio major, quilibet atque minor.*
*Quiſque priore loco dignus ſua nomina ſcribi*
*Subſtineat ceu lex carminis ipſa jubet:*
*Barbaries inculta bonas poſſederat artes;*
*Ars erat heu latii ſemiſepulta ſoni.*
*Aoniam exulibus nobis turbaverat undam*
*Pica loquax ſtabat turbida fontis aqua:*
*Venit ut hæc doctis Ætas ornata Poetis,*
*Priſcus honor Muſis, & ſua forma redit.*
*Sunt purgata olido Parnaſſa Stagna veterno;*
*Clara ſub Aonio fonte reſedit aqua,*
*Protinus & primos profugi revocamur in uſus;*
*Vivimus exquilio grataque turba jugo.*
*Non minus hic nobis Collis quam Cyrrha placet aude*
*Eſt ubi nunc Vatum dulce ſodalitium.*
*Sepius hoſpitium patat illic Platina nobis*
*Sæpe capit docta Pomponiuſque domo.*
*Sepius & reliquos illic ſpectamur alumnos*
*Et Marſum doctos Sulpitiumque Viros:*

*Cui*

Digitized by Google

Arma procul: viſque omnis abeſt: ſecura pererrat
Plebs tua: nec tenebris obvia tela timet

Pax

---

*Cui Paſtoralis obnubit & imphuia crines*
*Lucidus, & græco Brentius ore potens:*
*Marſaque progenies Petrus Laurentius una*
*Cui dedit Uraniæ ſidera noſſe Poli.*
*Didimus ipſe alter Lippus, ſive alter Homerus,*
*Corporis occluſo lumine multa videns.*
*Volſcus, Alexander ſimul optimus Hermodorus*
*Nos recipit docti cætera turba Chori.*
*Ultimus hos inter graderis nec gloria parva eſt,*
*Inter tot Vatum nomina poſſe legi.*
*Hi ſunt urbe ſacras hi mulcent cantibus undas,*
*Tybridis. Extra Urbem plurima turba viget*
*Singula ſi quorum percurrere nomina pergam,*
*Hoc nimis in longum progrederetur opus.*
*Num ſuus hic doctor mihi Merula forte ſilendus,*
*Qui late noſtras orbe profundit aquas?*
*Pontanum an ſileam veris qui laudibus alter*
*Maulıur, Æteream concinit Uranien?*
*An ne Plaius Mavortis Eques, qui noſter Alumnus,*
*Dilectuſqne tibi eſt, præter habendus erit?*
*Incola Carmeli, Mantibus generatus in Urbe*
*An Baptiſta mihi prætereundus erit?*
*Non ſolum Natalis Agri, ſed carminis heres,*
*Ille Maroneam concitat ore tubam.*
*Num laus Altilii, Lucani an gloria Vatis*
*Albini noſtra eſt prætereunda Chely?*
*Albini cujus referunt Epigrammata Marcum,*
*Cui Demoſtenicus ſtillat ab ore lepos.*
*An Cantelici, num arguta voce Marulli*
*An ne Mataratii nunc reticendus honor?*
*Carmina qui silvis canit æmula Parthenopeis*
*Angelus an nobis præter habendus erit?*
*Immo juvat meritas pro tempore reddere laudes*
*Hi reddunt celebres nunc Heliconis aquas;*

*Fnit*

Pax redit: & placido regnat modo Julius aſtro
Aurea nimirum Sæcula Roma vides.

BENE-

*Fabritium haud ſileo Varana ex Stirpe: Camertum*
*Præſul: qui noſtras te Duce ſugit aquas.*
*Macharinſque Camers his additur: huic breve corpus*
*Obnubit magni roboris ingenium.*

Liquido apparet ex his carminibus LAZZARELLI, Eum non ſolum Pomponii Leti Accademiæ Aſſeclas, verum & alios Poetas ſui Ævi celebriores, laudibus extollere voluiſſe. Multorum Poetarum nomina, quorum Carmina ad Lazzarellium ſuperius dedimus, hic recenſentur, & præſertim Bartholomæi Platinæ, Pauli, & Petri Marſi, Sulpitii Verulani, Laurentii Lippi, Joannis Albini Lucani, Fabritii Varani, & ni conjectura aberro etiam Angeli Callimachi Siculi, de quo uno videtur mihi Lazzerellius fuiſſe loqutus in hiſce Carminibus

*Carmina qui Silvis canit Æmula Parthenopeis*
*Angelus an nobis præter habendus erit.*

Angeli Callimachi in pag. 26. ſuperius meminimus, nec piget hic dixiſſe, qualiter V. C. Apoſtolus Zenius, in Diſſertationibus Voſſianis Tom. 2. pag. 318. Angelum Callimachum Siculum eundem eſſe ſuſpicatur ac Angelum Barboglittam Maſſanenſem, ideoque differre a Callimacho Mazzarienſi. Ea quæ Zenus, ſentit etiam Hiſtoriæ litterariæ Pater, & noſtri Ævi Polyhiſtor Comes JOANNES MARIA MAZZUCCHELLIUS in Libro *Gli Scrittori d' Italia* Tom. 3. pag. 324. Idem plura habebit de Callimacho, & aliis a Lazzarellio laudatis in Tomis quos parat, & nos cupidi expectamus. Dii Neſtoream vitam MAZZUCCHELLIO largiantur, ut ipſe ſummam manum imponat Operi jam incepto; quod Italiæ afferet gloriæ, & ornamenti nimium quantum neſcimus quid immenſum. Epiſtola qua Ang. Callimachus *Libellum de Aſtronomia Gabriellis Pirovani* Cardinali Petro *Rhegino* aliis *Iſunghia*, *Iſuaglia*, & *Iſvalles* appellato, dicavit, edita habetur in eodem Tomo 2 pag. 318. Diſſertationum Voſſianarum ædit. Venetiis 1752. in 4. Typis Jo. Baptiſtæ Albrizii quondam Hieronymi. Hiſtoriæ litterariæ Amatores etſi extra ordinem hæc quæ de Callimaco, aliiſque Poetis dedimus, humaniſſime excipient.

# BENEDICTUS A CINGULO

CIngulum in Piceno Civitas nobiliſſima ex manubiis a Labieno exædificata ſtrenuos eque Bellatores, ac litteratiſſimos Viros jactat, eminentque hodie præ aliis Johannes Baptiſta Bertuccius, & Franciſcus Maria Raphaellius Viri ſane quidem doctiſſimi. Ibidem præteritis Ævis floruit quidam BENEDICTUS CINGULUS, ſeu mavis DE CINGULO nuncupatus, qui non minus latinis, quam italis Carminibus memoriam nominis ſui conſecravit. Iſtius Poematia lita ſunt multis luminibus ingenii: unde de illius gloria delibare potius quam dicendo attingere poſſum; BENEDICTUS CINGULUS ut plurimum IL PICENO, ſeu PIZENUS appellatus, dedit primos Annos verſibus, & honeſtiſſimus inter ſuos numerabatur. Principum Virorum, & præſertim Joannis Galeazzi, & Ludovici Sfortiæ Mediolanenſium Regum uſque in Eum fuit ſumma voluntas, & ipſorum in Aula una cum Vincentio Calmeta, aliiſque doctiſſimis Viris Cingulus pluribus annis eſt commoratus. Demigravit ex Urbe Mediolani, ut Florentiam peteret, accerſitus a Laurentio Medici, quem non minus, ac omnes alios Accademicos Laurentianos ſibi delinivit. Ab Urbe Florentiæ Senas conceſſit, publicis ſtipendiis amæniores litteras docturus. *Scipio Cartheromacus* vulgo *Forteguerra*, Vir non indiſertus, & litteratiſſimus neſcio qua de cauſa multo odio Cingulum eſt proſecutus. Continuo virtutem ipſius allatravit, & pluribus libellis, maliſque

que carminibus Eum deſcripſit, quorum nonnulla hic referre haud me piget, exſcripta per me ex Codice Vaticano 2861.

## Scipio Fortegu. in Cingulum.

*Cingule pallentes multo rubicunde phalerno*
*Accuſas Vates, Cingule pallor habet*
*Tu rubros laudas: laudat Catilina Cethegum*
*Cingule cur rubeas gratia ſola meri eſt*
*Palleſcunt tangit, quoſcumque poeticus ardor*
*Et quoſcumque inunt dulcia vina rubent.*
*Pallebat dictus falſo vinoſus Homerus*
*Lippus erat Flaccus non rubicundus erat:*
*Pallebat Cicero, atque Maro pallebat & ille*
*Qui puras ſemper pene bibebat aquas;*
*Aſt alii quibus eſt Comœdia plena rubebant*
*Ipſe quoque & Bithen ſubrubuiſſe putem.*
*Flagitiiſque rubent multi proprioque pudore*
*Nam ſcelus effuſo ſæpe rubore patet.*
*Cur rubeas igitur quis neſcit Cingule, certe*
*Aut vinum aut ſcelus eſt quod facit ut rubeas.*

## In Eundem.

*Cingule non fruſtra es Picenti natus in agro*
*Nec fruſtra antiquum dat tibi Pica genus*
*Quod nimium loqueris Picæ eſt, quod inania jactas,*
*Quod neſcis Patriæ eſt verba latina loqui.*

In

## In Eundem.

*Si Patriæ generiſque tui taceatur origo*
*Atque ubi ſis nullus norit, & unde ſatus*
*Cingule ſi nolles etiam, invituſque probares*
*Barbarie patriam, garrulitate genus.*

Attamen ſuo ingenio Cingulus fregit invidentes,& in ſumma Scipionis Cartheromachi perfidia, & iniquitate dignitatem ſuam retinuit, conferens ſe in amicitiam doctiſſimorum Hominum, nempe Franciſci Arſocchi, & Jacobi Florini de Boninſegnis. Boninſegna tribuit tantum Cingulo quantum ſibi; imo non ſolum maximi illius carmina fecit, verum etiam ea in tanto prætio habuit, ut fuerit quoque dignatus hæc pluribus Commentariis exornare, quæ hodiedum viſuntur in Bibliotheca Marchionis Riccardi Florentiæ, prout locupletiſſimus teſtis eſt Clariſſimus Joannes Lamius primum Italiæ lumen, ac ornamentum (a). Joviano Pontano etiam Cingulus cariſſimus fuit quoad in Urbe Neapolis penes ampliſſimum Virum Franciſcum Colocꝗcium Æſinatem, commoratus eſt. Qui glorioſe vixit, glorioſius tandem oppetiit mortem, quæ eveniſſe fertur ſub anno 1495 [b]; quod tamen non ſatis compertum eſt. Indubia tamen res eſt, Cingulum ex hac vita migraſſe ante annum 1502; plu-

(a) Lamius in Libro; *Catalogo de' Codici MSS. della Biblioteca del Sig. Marcheſe Riccardi p. 68.* (b) Boccolinius *Apparato de' Scrittori Piceni.*

plurimaque carmina tum Itala, tum latina edidiſſe a laudatis Viris laudata. Eum efferunt maximis laudibus Creſcimbenius (a), Quadrius [b], & præ cunctis aliis Clariſſimus Angelus Colotius Æſinas, qui in obitum Benedicti Cinguli Italum Carmen fecit tam dulce, & elegans, ut nihil fieri poſſit argutius. Proriperem Cinguli laudes, ſi ex Itala Colocci Ode nonnulla Carmina non hic exſcriberem: unde cum Coloccio repetam

*Mentre havrà fiori Aprile*
*E i lauri havran le fronde*
*Mentre porterà Amor l'arco, e la face*
*Cingulo il tuo bel ſtile*
*Fie letto in terra, e in onde*
*Dove il Sol naſce, ove ſi colca, e giace.*

Carmina Itala Benedicti Cinguli publici juris fecit Gabriel Cingulus ejus Germanus Frater in quodam Volumine, cui titulus,

SONETTI BARZELLETTE E CAPITOLI DEL CLARO POETA B. CINGULO. *In Roma per Maeſtro Giovanni Beſiken* 1503. *in* 4.

RIME. Alia & alia Carmina Itala extant hodiedum inedita in quodam Codice cartaceo MSS. in 4. in Bibliotheca Chiſſiana Urbis num 411., prout aſſeruit Creſcimbenius ex viſu. Alia habentur in quodam Codice Cartaceo Bibliothecæ Riccardi-

[a] Creſcimb Storia della Volg. Poeſia Tom. 1 p m 411. T. v. pag. 37. [b] Quadrius Storia e Ragione d'ogni Poeſia Vol. II. pag. 211. e 348. Vol. VI. pag. 177.

cardianæ, prout teſtatur V. C. Joannes Lamius in Catalogo Cod. MSS. pag. 68: & alia extant inter Codices Vaticanos MSS. ſub num. 2951. pag. 279. & ſeq. ſub titulo CAPITULI PICENI, quorum initium ſequens eſt

*Naturalmente ognun fugge il morire*
*E ognun fugge la cauſa del ſuo male,*
*E chi fuggir non puo cerca guarire ec.*

Ipſe ego in armariolo meo nonnulla itala Carmina Benedicti Cinguli ſervo; Aliaque tandem cuſa habentur in Libro = *Fioretto di coſe nove di diverſi Autori ec. In Venezia per Niccolò detto il Zoppino* 1508. *in* 8. & in Collectanea, cui titulus = *Rime ſcelte del Gobbi Parte Prima* =

POEMA DI FORTUNA. Hujus Poematis meminit Gabriel in Prefatione Carminum Benedicti Cinguli ab ipſo editorum; Poema nuncupatum fuit Franciſco Colotio, qui tunc temporis erat a Cognitionibus Ferdinandi Regis Neapolitanorum.

VITA DI LUCRETIA ROMANA. Liber ligatis numeris italis a Cingulo eſt ſcriptus, & ab eodem dicatus Laurentio Medici, ſi fides Gabriello Fratri, id aſſerenti in citata Præfatione.

EPIGRAMMATA VARIA. Nonnullos Senenſes hæc fuiſſe furatos, & ſibi occultaſſe dolet idem Gabriellius in citata Præfatione. Quæ hoc in Libro per me eduntur, exſcripſi ex Codicibus Vaticanis, & ex Cod. Bibliothecæ Vallicellanæ Urbis. Tandem dixiſſe juvat, in *Bibliotheca Univerſali Auctore Conrado Geſnero Doctore Medico. Tiguri*

*guri apud Chriſtophorum Foſcoverum* 1545. *in fol. Tom.* 2. *pag.* 168. ſic de Cingulo noſtro haberi = *Cinguli Poetæ cujuſdam nomen neſcio ubi legi* =

## BENEDICTI CINGULI SEU DE CINGULO

### In Cytharedum

*Ex Codice Vaticano* 3353. *pag*, 167. *& Cod.* 3388.

Quæ fidibus caneres crebro me verba rogaſti,
Quid de me quereris ſi tibi verba dedi.

### In Imprudentem. *Ibidem*

Dedecus atque nephas quum te deceperit unquam
Miror, habes tecum dedecus, atque nephas.

### Irridet Hæbreos Tocullliones.

Quæris uter melius credat recutitus an unctus,
Verpus, qui credit non ſine pignoribus.

### In Gramaticum.

Venit ad Euphraten undis perterritus, hæſit
Inſpexit, cepit cernere Brunduſium.

### Ad Silviam Nivis globos emittentem.
*Ex Codice Vaticano* 3388.

Me nive candenti petiit modo Sylvia, rebar
Igne carere nives, nix tamen ignis erat.

 Quid

Quid nive frigidius? noſtrum tamen urere pectus
Nix potuit manibus miſſa Puella tuis.
Quis locus inſidiis dabitur mihi tutus Amoris?
Frigore concreta ſi latet ignis aqua.
Silvia ſola potes noſtras extinguere flammas
Non nive, non glacie, ſed potes igne pari.

*Ejuſdem ex Codice Bibliothecæ S. Mariæ in Vallicella Urbis ſignato lit. C. num.* 120. *pag.* 16.

Perdidit incenſus virides ubi Vesbius umbras
Vitiferum in cineres vertit & omne nemus:
Quo ſecum traherent Satyri, Dryadeſque choreas,
Quæſivit ſimilem Baccus in orbe locum.
Iſmatha poſthabuit, pangæa reliquit, & arva,
Poſthabuit vites alme Phalerne tuas.
Has ſibi delegit ſedes loca dulcia tandem
Prætulit has Nyſæ, colliculiſque ſuis.
Ipſe racemiferis ſolet his recubare ſub Antris
Spumantique pedes tingere ſæpe lacu.
Gratia quanta loci virtus; prope labitur amnis
Ampla hinc planities cernitur unde nemus.

# GUIDO POSTHUMUS PISAURENSIS.

POSTHUMIA Gens, quæ in Oppido Montis Barocci Comitatus Piſaurenſis nuperrime defecit, pluribus celeberrimis Viris claruit. Eminet inter hos GUIDO POSTHUMUS SILVESTRIS, qui Majorum ſuorum dignitatem longe antecedens, ſibi æternam famam ingenio ſuo condidit. Erat his fere Puer, quando unus jam omnium maxime enitebat in Patria vi, & alacritate ingenii, non minus ac amore litterarum. Vix pervenerat ad eam ætatem, qua non tantum de eo bene ſperare, ſed etiam Majores poterant ſui GUIDONEM talem futurum qualem cognitum confidere, quando Eum ab Urbe Piſauri miſſum fecerunt, Patavium Studii gratia profecturum. Non fuit is Parentum imperium moratus, aſt hilari fronte in Navem aſcendit, quæ cum tempeſtate maxima Epirum ferretur, parum abfuit quin procella, & fame abſumeretur. Tandem aliquando ad Urbem Patavii acceſſit, ubi Philoſophiæ, ac Medicinæ tam ſedulam dedit operam, ut doctrinæ inſignibus ibidem ornari promeruerit. *Poſt* hæc in Patriam rediit, & incidit in res novas, & rerum quæ ſub Valentino Cæſare evenerunt viciſſitudines. Ejectus fuit Piſauro Joannes Sfortia hujus Urbis Dynaſtes, qui tamquam unus philoſophiam callens, in delitiis Poetam noſtrum habebat, & voluntas ejus in POSTHUMUM fuit ſumma quidem, & conſtantiſſima. Similiter & GUIDO fuit animo, &

I 2 fide

ſide ſingulari in Joannem Sfortiam, pro quo mortis diſcrimen ſubire pluries non recuſavit. Factum hinc eſt, quod addicta fuerunt ipſius bona in publicum, & quæ ſupererant Vitricus male parcus hauſit: quapropter ſibi de lucro vivere neceſſe fuit, & accerſitus a Joanne Bentivolo Bononiæ Domino, ut in celeberrimo illo Gymnaſio Philoſophiam interpretaretur, eo ſe contulit anno MDV (a). Bononiæ ubi Charites, Venereſque, & Muſæ omnes, quaſi in propria Regia incolunt, GUIDO Poeſim colere, & elegos omnium elegantiſſime emittere cœpit. Ibidem ingenii præſtantia doctiſſimos Viros ſibi amicos paravit, & præſertim Camillum Paleottum, Joannem Philoteum Achillinum, Philippum Beroaldum Juniorem, Achillem Bocchium, alioſque hujuſce Notæ Viros, qui ad invicem ſeſe medullitus amavere. Hujus mutui amoris indubia remanent monumenta in tot Carminibus, quæ unus alteri dedit. Hic ego duntaxat exſcribam hendecaſillabum ab [b] Achille Bocchio concinnatum; Accepi

(a) Alidoſius in Libro cui titulus DOTTORI FORASTIERI pag. 35. ſic = *Guido Poſtumo da Peſaro del 1505. fu Lettore di Filoſofia al Straordinario nell' Univerſità di Bologna, ec.*

[b] Achilles Bocchius Eques auratus, ac Comes Palatinus, Philoſophus, Poeta, & Hiſtoricus inſignis, Litteras Græcas in Patrio Gymnaſio docuit, & edidit Apologiam in Plautum. Carmina in laudem Jo. Baptiſtæ Pii. Libros V. Symbolicarum quæſtionum, & Libros XVII. Hiſtoriæ Bononienſis. Bononiæ Accademiam Bocchianam inſtituit ſub nomine ERMATENA. *Phyleros* Bocchius ut plurimum appellabatur; de Eo pluribus agit Orlandius in Libro *Notizie*

cepi hunc in Urbe ex quodam Codice membranaceo MS. in 4, qui tunc extabat in Bibliotheca Clariſſimi, & nunquam ſatis laudati Cardinalis Dominici Paſſionei æternæ memoriæ, qui in Urbe meis Studiis plurimum favebat; unde lacrymabundus hic, & ſemper cum Horatio repetam

*Multis ille quidem flebilis occidit*
*Nulli flebilior quam mihi.*

Hor. Car. Lib. 1. Od. 24.

Codicis titulus ſequens erat = *Achillis Bocchii Equitis Bononienſis Luſuum* Libri II = Tum quia ignoro an publici juris ſit factus nec ne; tum quia * Egnatianus * iſte hendecaſillabus de HYANTIDE Poſthumi Amaſia facit aliqualem ſignificationem, duxi ut in vulgus ederetur. En habes

*Inter delicias Puellularum*
*Verſaris modo* POSTVME, *& beatus*
*Circumfuſus* HYANTIDAM *lacertis*
*Felicès niveis manus p..pillis*
*Miſces nunc roſeo, tenelluloque*
*Vultu, nunc rutilis procax ocellis*
*Infers millia multa baſiorum.*

 Alia

zie *degli Scrittori Bologneſi pag.* 37. Non piget hic notare, qualiter Bocchius ortus eſt ex Conſtantia de Zambeccaris Nobiliſſima Fœmina, prout habetur ex Carminibus Baptiſtæ Pii. In Bibliotheca Barberina inter Codices MS. ſub num. 3968. extat = *Achillis Bocchi Bononienſis Ptolomeus ſive de Officio Principis* = quem Codicem viſendi mihi copiam fecit V. C. SIMON BALLARINIUS, qui tantæ Bibliothecæ juremerito præeſt, cum ſit doctrina, & comitate eximius, Vir ſane in Urbe omnium numerum. Liber Bocchii eſt in Dialogo. Intelocutores vero ſunt Idem Bocchius, Gabriel Ceſanus, Annhibal Charus, & Claudius Ptolomeus.

Alia in eodem Codice Bocchii ad Poſthumum Carmina habentur, quæ præ nimia ſalacitate ommittam, & ſolummodo illorum initium referam

*He heu peruror Poſthume Poſthume*
*Nec deſit ullo tempore flammula &c.*

Efflictim Poſthumus Puellulam nomine Hyacinthiam, quam *Hyantidam* Bocchius appellat, deperibat. Sic Poetæ noſtro pepercerit Deus, ut nos perditos ejus Amores Ætati, non Poſthumo vitio vertemus. Ætas illa maxime depravata fuit, taliter ut nec Summi Viri ſeſe a Scortis abſtinerent: unde ſicuti nos Homines, ut res dant ſeſe, ita ſumus; ſic Deo Maximo gratias agere debemus, quod ætas noſtra tam pravos mores abduxerit a conſuetudine.

Non diu Poſthumus Bononiæ perſtitit, quoniam cum Ipſe ſe totum profunderet in Bentivolos, quos a Bononienſi Tyrannide Julius II. Pontifex Max. ejectos volebat, coactus fuit Bononiam, & Scholam derclinquere. Pontifex Julius, ſuppetias Ei Gallorum Rege ferente, Bentivolis jam jam bellum intulerat, & terror, & odia inteſtina pluſquam Militum Copiæ Bononiam circumvaſerant: unde nulla ſpe Bentivolis affulgente, aut vincendi, vel Urbis retinendæ, Poſthumus omni abjecta cunctatione, abripuit ſeſe. Ingenuarum Artium non minus quam rei militaris ſtudia jam apud Poſthumum vigebant; Imo amor Patriæ, odium in Pontificem, Majorum ſuorum exempla, nec non favor in Bentivolos abſtrahebant Eum ad bellicas laudes; quapropter abiiciens ſamam ingenii, Mutinenſia arma ſecutus,

cutus, fecit ſtipendia ſub Guido & Carolo Rangoniis Imperatoribus celeberrimis. Et Enſis, & ingenii acumine pluries dimicavit, ac omnem operam ad illius Principis ſalutem impertivit. Præ cunctis Guido ægre ferebat, quod Pontifex Piſauri, & Bononiæ poſſeſſionem involaſſet, nec habens unde impotentem illius dominationem refringeret, magnitudinem Julii Pontificis allatrabat. Auſit etiam libellis, & triſtibus Phaleucis (quibus Pontificis odium ſibi importavit) Julium, ejuſque Aulicos lædere. Sparſit in vulgus Elegos, & Phaleucios ſale nigro conſperſos, & præſertim illos, quorum initium eſt ſequens

*Quo quo dira hominum bonis reperta*
*Natrix &c.*

*Barbarie effrenem quis te negat auſpice Juli &c.*

Mutinenſis Ducis ad aures accidit Poſthumum jam Militem omni animi impetu in litteras, & præcipue in Poeticas, & Philoſophicas incubuiſſe: ſtatim ipſe inclinatione voluntatis in Poſthumum propendit, ut quem omnes in docta, & bene lauta parte putabant, Gimnaſiarchæ Ferrarienſes in Philoſophiæ Præceptorem cooptarent. Anno 1510. ut inquit Borſettus [a] Guido Ferrariæ Medicinam



fecit,

[a] Borſettus Hiſtor. Gymnaſii Ferrarienſis Tom. 2. pag. 126. = *Rotulus in Memoriali anni 1510. pag. 118. Guido Poſthumo Piſaurenſis Philoſophie, ac Medicine celebris in Gymnaſio noſtro Profeſſor: Eum etiam Muſis, ſed parum feliciter dediſſe operam teſtatur emunctæ naris Criticus noſter Lilius Gregorius Giraldi in Dial. 1. Poetarum &c.* =

ſecit, & publicis ſtipendiis Philoſophiam in Gymnaſio interpretatus eſt. Eodem fere tempore Poſthumus advocato animo ad ſe ipſum, Julium Pontificem exoravit, ut sibi pœnas abrogaret, Elegiſque ſupplicibus Pontificem averſum componere curavit, attamen fruſtrato opere: nam Julii Bilis ita ſub pectore intumuit, ut numquam Poſthumo ipſe pepercerit, nec invidiam in Poſthumum quærere ceſſaverit. Ex hoc Poſthumus implacabilius iratus eſt Pontifici, & Franciſco Mariæ Urbinatum Dynaſti omnem tulit operam, ut Regnum, quod ammiſerat, repararet. Anno MDXVI. Feretrenſis Arcis, vulgo *S. Leonis*, Præfectus conſtituitur, & illam validiſſime contra hoſtes tutatus eſt (a). Uno eodemque tempore Puerum Guidobaldum ejus fidei, & tutelæ a Franciſco Maria Urbinatium Duce permiſſum, ſollicite oſſervavit, quem poſtea Mantuam deduxit. Pontificibus Julio II. ac Leone X. varios tulit caſus, & nemo dexterius fortuna eſt uſus; ſuperbæ enim fortunæ reſponſabat, iniquæ concedebat, non fremens, tamquam Leo in infantes, niſi ma-

(a) Idem Poſthumus in Epiced. in Matrem impreſſ. *Ferrariæ* 1517. *in* 4. & Joannes Baptiſta Marinius in Libro = *Saggio di ragioni della Città di S. Leo in Peſaro* 1758. *in* 4. ubi in pag. 24. ſic habetur = *Nel coltiſſimo Epicedio dell' ammirabil Guido Poſthumo Poeta Peſareſe, nella Rocca appunto di Sanleo da lui compoſto l' anno* 1516., *allorchè in critica occaſione alla Cuſtodia di quell' importante Forte, e del piccolo Infante Guidubaldo Feltrio Rovereſe dal Duca Franceſco Maria* 1. *di lui Padre coſtituito trovavaſi &c.* =, & in pag. 13. *Un altro fu guido Poſtumo Poeta Peſareſe Caſtellano della noſtra Rocca* =

ſi magna fame. In Urbe cum apud Herculem Rangonium, cujus opibus familiariter utebatur, moram faceret, & variis numeris caneret, in aula Leonis conſpicuus fuit, ſi fides Jovio [a], a quo accipimus Eum benignæ Principis manu ſæpe donatum, & non inſulſe ad honores aſpirantem regium Morbum invaſiſſe ex moribunda Piſauri ſede procul dubio conceptum. Itabat Poſthumus ad cœnas Principum factus Aſſecla menſarum, ex quo evenit, ut morbo de die in diem gravius conflictatus, Capranicum Sutrini Agri Vicum aeris ſalubritate percelebrem, Medicis ſuadentibus, ſeceſſerit. Ibidem non multo poſt exuſto lenta febre toto viſcere, vel adhuc virenti ætate vim morbi, fatique ſubſtinere non valens, abiit ad Deos, quin Operum quæquæ retexere, nec plurima abſolvere potuerit. Corpus ad Divi Franciſci humatum fuit cum Epigrammatibus Tibaldei, ac Jani Vitalis ſequentis tenoris

TIBALDEI.

*Poſthumus hic ſitus eſt, nec dictum hoc nomine credas*
*In lucem extincto quod Patre prodierit*
*Mortales neque enim talem genuere Parentes*
*Calliopeja fuit Mater, Apollo Pater.*

JANI

(a) Jovius in Elogiis Doctorum Virorum num. 69. Editionis *Baſileæ in* 8. pag. 160.

*Quærite nunc alium Muſæ, quem ſemper ametis*
*Qui vos ſemper amet Poſthumus occubuit.*

Epigrammata Thebaldei, & Jacobi Vitalis, vernaculo vertit (a) Hyppolitus Orius, quæ tamquam unum Carmen, & unius Auctoris dat Alidoſius (b). Joannes Baptiſta Boccolinius Poſthumum vixiſſe ait anno 1500 (c): At vitam traduxit ad multos annos poſt. Chariſſimus doctiſſimis Viris ſui Ævi fuit, nec ex ipſis erunt reticendi Ludovicus [d] Areoſtius

(a) In Libro, cui titulus Le Iſcrizioni poſte ſotto le vere imagini degli uomini famoſi (in lettere] del Giovio tradotte per Ippolito Orio Ferrareſe. In Firenze preſſo il Torrentino 1552. in 4.

[b) Alidoſius in Libro *Dottori Foraſtieri pag.* 39. = *Morì a Capranica Campagna di Sutri, & è ſepolto in San Franceſco, dove furono fatti i ſeguenti verſi.*

*Il Poſtumo quì giace, e non crediate*
*Che aveſſe nome tale*
*Perchè ei naſceſſe dopo morto il Padre,*
*Che di Padre mortale*
*Ne men di mortal Madre*
*Nacque mai Uom cotale;*
*Ma di Calliopea de le beate*
*Muſe alme una, e de Apollo immortale*
*Cercate Muſe altro Poeta accorto*
*Chè ſempre amiate, e lo qual voi ſempre ami.*
*Or che il Poſtumo è morto.*

(c) Boccolinius in Apparato de Scrittori Piceni *Guido Poſtumo da Peſaro* 1500. *

[d] Arioſtus Satira Prima

*Ogn' alterazione ancorchè leve*
*Che aveſſe il mal che io ſento, o ne morrei,*
*O il Valentino, o il Poſtumo errar deve.*

Idem

ſtius, Franciſcus Arſillius Senogallienſis (a), Joannes Matthæus Tuſcanius Mediolanenſis (b). Philippus Beroaldius Junior [c]. Joannes Antonius Flaminius

Idem in Poemate Orlando furioſo Cant. 42. St. 89.

*Ed un per cui la Terra ove l' Iſauro*
*Le ſue dolci acque inſala in maggior Vaſe*
*Nominata ſarà dal Indo al Mauro,*
*E dall' Auſtrine all' Iperboree caſe*
*Via più, che per peſare il Romano auro*
*Di che perpetuo nome le rimaſe*
*Guido Poſthumo a cui doppia corona*
*Pallade quinci, e quindi Febo dona.*

[a] Franciſcus Arſillius de Poetis Urbanis in Coriciana pag. 137.

*Exprimit affectus Animi ſic carmine veros*
*Poſthumus ut Lector cuncta videre putet*
*Cum libet ad lacrimas ridentis lumina Amica*
*Flectit & ad riſum cum gemit ora movet.*

[b] Jo: Mattheus Toſcanus in Pæplo Italiæ edit. Lutetiæ ex Officina Federici Morelli Tipographi Regii 1578. in 12. pag. 38. num. XXII.

*Poſtumus Aonidum ſtudiis florebat, & avo*
*Atque favore LEO non minus ipſe tuo*
*Invidet & quarto quo ſeſe opponat honori*
*Tres Una flores mors fera falce metit.*

*Guido Poſthumus Piſaurenſis Poeta ob ingenii elegantiam Leoni X. gratus immaturo obiit; extant Elegiæ hujus excuſæ Bononiæ.*

(c) Beroaldus Carmina imprimebat Romæ Antonius Bladus Platina 1530. in 4. Lib. II. ad Guidum Poſthumum Piſaurenſem.

*Nunquam Poſthume tu Pallade Tetrica*
*Atque a Socratica parum aberis domo*
*Quin Oracla Platonis*
*Aut narres bonum Averroem*
*Quæ natura Animæ num una eadem omnium*
*Num ſit cuique ſua an Sideribus ſui*
*Ut motus ita ſenſus*
*An vitas hominum regant*

Di-

minius Foro Cornelienſis (a), & alii, qui Poſthumi Carmina, & ſcripta valde probarunt. Non defuerunt Poſthumo eodem tempore, vel invidi, vel maledici Detractores, inter quos primum locum tenent Marcus Marullus (b), Georgius Anſelmus Parmenſis (c), & Lilius Gregorius Giraldius Ferrarienſis (d): Præ cæteris vero Angelus Colotius Epiſcopus

---

*Diverte ad faciles, atque tibi hoſpitas*
*Quondam Pieridas, hoc numeri docent*
*A te compoſiti aureo*
*Plectro Calliopes Deæ &c.*

[a] Joannes Anton. Flaminius inter Epiſtol. familiares Edit Bononiæ 1744. ex Typographia S. Thomæ Aquinatis in 8. pag. 256. Lib. VI. ad Poſthumum Piſaurenſem = *Quid enim mihi optabilius evenire aut jucundius poſſit quam amari a tali Viro, & probari.* = Fuerat enim Guido etiam M. Antonii Flaminii Patris Jo: Antonii in primis neceſſarius..

(b) M. Marulli in Libro Himn. & Epigram edit Florentiæ Societas Colubri 1497. in 4.

IN POSTHUMUM

*Scribis agis, recitas ſemper nova Poſthume quid ni?*
*Poſthume crede mihi quidquis agis novus es.*

AD EUNDEM

*Et ſapiens & amens vis idem Poſthume haberi*
*Poſthume vis idem diſſipere, & ſapere.*

(c) Georgius Anſelmus in Libro Epigrammatum Libri ſeptem; Soſthyrides; Palladis Peplus; Eglogæ quatuor Mapheus Paſinus impreſſit Venetiis 1528. in 8.

IN POSTHUMUM PIS.

*Pauca rogas, tuo depereant ne nomina, de te*
*Ut ſcribam: Inſcribam Poſthume pauca; Latro es.*

(d) Giraldius, inter ejus Opera edita Lugduni Batavorum apud Hackium Bonteſt yn Vivie Vander AA & Luchtmanss 1696. Tom. 2. in fol. De Poetis ſuorum temporum Dial. I. Col. 538. = *Præſtat*

pus Nucerinus (a) naſute diſtrinxit Poſthumi carmina, forſan (ut mea fert opinio) quia minutius, & ſcrupoloſius rimabatur omnia, vel quia Poſthumius

---

*ſtat non nihil in Elegis Guidus Poſthumus Piſaurenſis: auſus ille aggredi phalæcios, & heroicos parum utrunque recte, Sapientia & Medicinæ ſtudia amplexatus, nihilo plus quam in Poetica profecit, ſecutus convivia, & Regum Convictus, unde infirmam atque ægram valetudinem contraxit, Tu hominem Alexander plane noſti. Sic eſt inquit Alexander Domi enim hunc Magiſtrum aliquando habuimus* =

(a) Angelus Colotius in Poſthumum ex Codicibus Vaticanis 3388. pag. 166. & Cod. 3353. pag 166.

*Qui te nomine Poſthumum vocavit*
*Commode mage puſtulam vocaſſet*
*Cum ſis puſtula, ſed novem Sororum.*

Ex Codice Vaticano 3388. pag. 55.

*Pro colica Choleram dum credit Poſthumus, & dum*
*Miſcet opem dubiam, Cincius Eger obit.*
*Quanvis ſis Medicus, dicant & Poſthume Vates*
*Sit Clarii carmen, ſit Medicina Dei.*
*Non Medico ut Vati peccatur littera, ſed mors,*
*Et vita ambiguo pondet ab antidoto.*

Ex Codice Vaticano 3388. pag. 65.

*Pulchre convenit invidis Poetis*
*Rubro, Gennadioque,* POSHVMOQVE
*Pallenti, maculis, luique Phœbi*
*Hi quos unanimes videtis, ambo*
*Tegi diſcupiunt Sepulcro in uno*
*Se, nugas, mala carmina, & libellos.*
*Peſtes hæ geminæ, ut lues bonorum*
*Me meis male Syllabis putarunt*
*Phaleci leve carmen elevantes*
*Dum tu* MAXIME *diligenter erras.*
*Quid id ſi faciant boni Poetæ*
*Ipſum hoc diſpereo quod Urbe tota*
*Sunt Tricæ atque Apinæ, & novæ tenebræ.*
*Non cuicumque datum eſt habere naſum*
LEO; *ſed datur iſti habere barbam*
*Sic pravo Medico, ut malo Poetæ.*

mius virgula cenſoria Colotii carmina ante notaſſet, ni potius, quia paſcitur in Aulicis livor, id factum dicere velimus. Dicant quidquid velint critici Viri, Poſthumus Elegos cultiſſimos emittebat, & ejus carmina a quamplurimis probata fuere; Nec ſolum uti Poetæ Maximi, ſed uti etiam Philoſophi acutiſſimi, obitum ipſius, Benedictus Lampridius eſt lachrymatus [a]; ita et Marcus Antonius Caſanova, qui ad Guidi Poſthumi Manes errantes, dedit Epigramma illud, quod habetur in Cod. Vaticano 3388. pag. 263.

*Læta quid iſta vagi per Prata virentia manes.*
*In mea peltatas vertitis ora manu.*
*Quis furor affines terrere ſecuribus umbras*
*Quid juvat in tenues ſtringere tela notos.*
*Nos quoque vos inter miſeri numeramur Amantes*
*Nos quoque quid Socios læditis? umbra ſumus.*
*Si tamen in tenues nova funera quæritis actus*
*Deque meo veſtra eſt tanta cruore ſitis.*
*Parcite, Amor veſtras æternum ulciſcitur iras*
*Cujus adhuc patior ventus & umbra faces.*

Præter relatos Viros de Poſthumo laudes habent Joannes Ordelaphius (b) Jovius (c) Latomius [d] Morerius

(a) Benedictus Lampridius Par. I. Carmina Illuſtrium Poetarum Italorum Jo: Matth: Toſcanus conquiſivit &c. Lutetiæ apud Ægidium Corbinum 1576. in 16. pag. 99.

*Quid audio? quid Nuntii Eheu Poſtumus*
*Obiit Poeta maximus*
*Acutus idem & promptus Enthymemata*
*Torquere non vulgaria &c.*

[b] Ordelaff. in legem finalem ff. de rei vindicatione.
(c) Jovius Elog. Doctorum Viror. num. LXIX. pag. 160. (d) Ibid.

Morerius (e) Anonimique alii (f) & omnes ii, qui de Urbe Piſauri laudes canunt. Ludovicus Siderostomus Guidonis Poſthumi Diſcipulus poſt illius obitum Elegos verſus imprimi curavit, & liber rariſſimus excuſus eſt *Bononiæ per Hieronymum de Benedictis An. Dom.* 1524. *in* 4, Vidi in Bibliotheca Alexandrina Urbis. Libri hujus meminit Joſias Simlerus in Epitome Bibliothecæ Getſneri pag. 298. ſic = *Guido Poſthumus Silveſtris Piſaurenſis ſcripſit Elegiarum Libros duos ad Leonem Pontif. Max. excuſos Bononiæ per Hieronimum de Benedictis An. Dom.* 1514. = Et in Catalogo Bibliothecæ Heilsbronnenſis Auctore M. Joh. Lud. Hockeri. *Norimbergæ apud Petrum Conradum Monath* 1731. *in fol. pag.* 278. memoratur hic Liber, prout ſequitur = *Guidi Poſthumi Silveſtris Piſaurenſis Elegiarum Libri II. Bononiæ* 1524. *in* 4. = Typis edita alia & alia Carmina Poſthumi habentur in diverſis Libris, nempe

In Libro cui titulus = *Collettanee Grece latine vulgari per diverſi Autori moderni nella morte dell' ardente Seraphino Aquilano per Gio. Philoteo Achillino Bologneſe in un corpo ridutte &c. In Bologna per Caligula Bazaliero &c. nel* 1504. *di Luglio in* 8. extant decem ibidem Guidonis Poſthumi Epigrammata

(e) Morerius Gran Dic. Tom. VII. pag. 247.

(f) Inter Codic. Urbinat. Vatic. pag. 20. = *Il leggiadro Guido Poſtumo &c.*

mata cum Epiſtola ad Achillinum, & altera Epiſtola Philothei Achillini ad Poſthumum.

Epig. IN STATUAM PROPERTII inter Poetarum Nobilium Carmina per Ubaldinum in pag. 50. *Mediolani* 1563. *in* 8.

ALIA inter *Carmina Illuſtrium Poetarum Italorum Jo. Matthæus Toſcanus conquiſivit &c. Lutetiæ apud Ægidium Corbinum* 1576. *in* 8. *Par.* 2. *pag.* 307., & in *Deliciis Poetarum Italorum Par.* 3. *pag.* 496.

ELEGIA in Libro cui titulus = *In Celſi Archelai Mellini Funere Amicorum lacrimæ impreſſit Romæ Jacobus Mazzocchius in* 4. abſque nota anni.

EPICEDIUM IN MATREM. *Ferrariæ* 1517.

ELEGIÆ, ET EPIGRAMMATA extant in Codice Vaticano 3168. & in Cod. 1371. Vaticano Reginæ Svecorum, ex Papiro in 8. car. ſcript. 86.

GUI-

# GUIDI POSTHUMI PISAURENSIS

## Ad Ludovicum Benefactorem Amasiæ nomine

*Ex Codice Vaticano* 3188. *pag.* 6.

Cum tacitò igne cremer, nec quæ ſim noſſe labores,
Quid te uno in terris ſævius eſſe poteſt?
Ah hominum quantis damnabere vita querelis,
Ah quantum immeritæ cauſa ferere necis.
Diceris proprios tibi quem ſervamus in uſus
Pollutas noſtro ſanguine habere manus.
Cum Benefactoris, gratumque, & amabile nomen
Et referas gentis tot benefacta tuæ;
Immemor ah! ne ſis tanti cognominis, & te
His dignum titulis, nominibuſque proba.
Quod factum melius? quid Diis acceptius ipſis,
Inſtantem miſeris quam prohibere necem?
Si tacito igne mori miſeram permittis Amantem;
Jam Malefactoris, Lux mea, nomen habes.
Ne rogo tam ſanctum malefactis pollue nomen:
Ulterius tacitam neu patiare mori.
Ergo ne mala mi facias, mihi redde meum cor,
Quod mihi primum oculi ſurripuere tui:
Aut mihi, ſi quicquam tua te cognomina tangunt
Per benefacta pias redde in Amore vices.

# IN JULIUM P.

*Ex Codice Vatic.* 3168. *pag.* 15. *& ex Cod. Reginæ Svecorum pariter nunc Vatic. num.* 1371. *pag.* 75.

Stirpe ſatum ætherea quis te neget optime Juli
Gentis Juleæ nomen, & acta refers.
Nempe quod es pathicus, latio quod ſanguine gaudes,
Illud habes Sexti: Cæſaris illud habes.
Quod Phæton mundo es: quod vipera: Cajus haberis:
Claudius es, nimium quod tibi vina placent;
Sed quod pædicas, quod opum tibi tanta libido eſt
Cæſare ab hoc, & ab hoc illud, & illud habes.
Heu cave Roma; habuit Cæſar ſua quilibet olim
Crimina, multorum hic quod fuit unus habet.

## IN TUMULUM SFORTIÆ BENTIVOLI

*Ex eod. Cod. pag.* 28.

Sfortia Bentivolum decus hic jacet: heu ubi Amores
Forma, pudor, Charites, Mnemoſynæque jacent.
Quo læta eſt ſimul, & mœrens natura perempto,
Ut nec lætitiæ cedat amaricies.
Læta, novum cœlo quod numina ſydus habebunt,
Mæſta, dabit terris, quod ſine Sole diem.

*Ex eod. Cod. Vatic. pag.* 37.

Quæ Statuam Alcidæ fuerat ſubitura Columna
Quæritis an cur ſic fracta recumbat humi.
Maluit

Maluit hic frangi, ſpargique inhonora per agros
Quam mox feſſa oneri ſuccubuiſſe ſuo.
Nec mirum: hic diffidit enim ſe poſſe, vel horam
Tot decora, ac tanti ferre trophea Ducis.

## Ad Hannibalem Rangonum

*Ex Cod. Reginæ Svec. in Vatic. num.* 1371. *pag.* 74.

Quem te ſub tenero hoc referam chare HannibalÆvo?
Quali ego te merita voce, lyraque canam.
Tres cum in me audieris linguas modo de quibus una
In proprium armaſſet pignora chara patrem.
Ore manu innixus ſolidæ rationis habenis
Non potuiſti ulla calliditate capi...
Hæc quoque Patris erat conſtantia, ſcimus; at illi
Uſus, & ipſa ætas longa Magiſtra fuit.
Macte Animi puer invicti per ſydera juro,
Mens fuit iſta Annis altior una ſuis.
Perfidiam noviſſe hominum non infima laus eſt,
Contra extrema Ducum eſt gloria noſſe ſuos.

## In Laudem Phisionomiæ Coclitis

*Ex Codice Vatic.* 3108. *pag.* 43. *& ex altero Reginæ Svetiæ pariter nunc Vatic.* 1371. *pag.* 58.

Præſide Achillino victura volumina Cocles
Condidit Orbe italo diſſimulator abi.
Nota Animi fient penetralia, ceſaque ficti
Fronte vel in media crimina cordis erunt.

Notus erit tandem juſti temerator, & æqui
Olim aliquis Populo creditus eſſe Numa.
His potuit noſci Pelopeius Advena chartis,
Qui Menelaei clauſtra recluſit Equi.
Temporibus noſtris iſta noſcendus ab arte
Impius anguigeræ proditor arcis erat.
Hoc Animi ſpeculo Patriæ Pater inclytus urbis
Ocia Bentivolus fida Senator aget.
Cede igitur vitium, quia munere Coclitis actum eſt,
Ut ferat in patula crimina fronte reus.

## Epitaphium Aloysii Roccabonellæ

*Ex eod. Cod. Vatic. num.* 3168. *pag.* 47. *& ex altero Reginæ Svet. pag.* 40.

Ille Ego cujus opes Chreſum vicere, pudorque
Theſidem facies Nyrea fama Patrem.
Penſa Atropos ſecuit ſexta in trieteride: liqui
Cœlo animam, Patriæ nomina, Corpus humo:
Stare diu ſummis prohibet fortuna, ſuumque
Raro aliquid finem nobile vidit opus.

## De suis temporibus ad se Ipsum

*Ex Cod. Vaticano* 5810. *pag.* 15. *& ex Cod. Reginæ Svec.* 1371. *pag.* 58.

Summa tenet vitium, terras Aſtrea reliquit
Ferrea nunc vere ſæcula mundus agit.

Expedit eſſe reum: regnant fraudeſque, dolique,
    Proſequimurque odio faſque piumque pari.
In ſua proditio jam pridem jura coegit
    Ire capiſtratam colla, manuſque fidem.
Ipſa ſuis pallens cum ſectatoribus errat,
    Et vanum virtus irrita nomen habet.
Priſca tamen pietas ſua Poſthume fœdera ſervet;
    In te uno hæc valeant ſecla probare Deos.
Altius a vitiis caput exere, quæ tamen olim
    Inſperata quidem pœna ſed ampla manet.
Durum olim Siculo fuit ingemuiſſe juvenco,
    Et labirintheo monſtra ſub orbe pati.
Durius at ſcelerum eſt geſtare in pectore teſtem,
    Perpetuaque Animum conditione mori.

## Ad Hannibalem Rangonum

*Ex Cod. Reginæ Svetiæ 1371. pag. 73. & ex Cod. Vaticano 5810. pag. 28.*

Quam canis Odryſio pia carmina blandius Orpheo;
    Tam tua ſunt pœno proxima geſta Duci.
Quantum immota tuis vaga ſydera cantibus aſtant,
    Tam tua ſunt pœno proxima geſta Duci.
Quam mihi plectro Animam trahis ab radicibus imis,
    Tam tua ſunt &c.
Quam te ignara ſuum Venus aurea credat Adoni,
    Tam tua ſunt &c.
Quam tibi Nayadum timeo, Driadumque rapinas,
    Tam tua ſunt &c.

Quam timeo ad Fontem ne te tua fallat imago
Tam tua ſunt &c.
Quam te lemniacis cuperet Venus arctà Cathenis
Tam tua ſunt &c.
Quam te Doris amat, quam me mea Fannia torquet
Tam tua ſunt &c.
At quod es ultra hominem clementior, hoc facis uno
Ne tua ſint Pœno proxima geſta Duci

AD JULIUM II. PONTIFICEM

*Ex Codice Reginæ Svetiæ* 1371. *pag.* 75.

Ergo erat in fatis Mutinam quoque viſere noſtris
Hic ubi perfidiæ libera facta via eſt?
Ergo eodem curſu tot jam labentibus Annis
Errori nunquam finis habenda meo eſt?
Vix bene pretextæ fueram velatus amictu
Cum procul a Patria Palladis egit amor.
Naufragus hinc Venetas longe disjectus in oras
Quantula pene avidis Piſcibus eſca fui.
Hinc rapidi emenſus longa intervalla profundi
Mœſtus adi Venetos Regna ſuborta mari.
Mox profugi Phrigii Euganeam delatus in Urbem
Infœlix latiæ ductus amore togæ
Incertum feror, & parvo loca pervia Rheno
Externaſque iterum cogor inire vias;
Nam Patriæ quatiens monumenta Valentius Heros
Abſtulit antiqui jura Paterna Soli.

Mox

Mox mercis Patriæ, & cenſus male parcus Aviti
Impius excultas Vitricus hauſit opes.
Hinc mihi prima mali labes: hic & grave Rheni
Mœnibus imperium, ſervitiumque tuli.
Utque dolos Comitum, & rabiem livoris iniqui,
Ut taceam ſtrictas in mea fata manus.
Terreno Jove Felſineos badizante per agros
Bentivolæ jubeor damna ſubire fugæ.
Rangonumque Ducem, Mutinenſiaque arma ſequutus
Sorte Ducis fato non leviore premor.
Et flecti tamen: & placidas dare promptius aures
Mite ſolet precibus pectus Jule tuum.
Nec minor eſt pietas quam ſit tibi fulmen, & ignis
Nec te ſceptra magis quam probat ille Jovem.
Utque habet hic nullos tua magna potentia fines
Sic nullis claudi finibus illa poteſt.
Tolle tamen famulis commiſſa piacula terris
Aridus ipſe tuæ fons pietatis erit.
Materiam veniæ tibi crimina noſtra dederunt,
Fraudi etiam debes Gentis Jule tuæ.
Deme hominum vitas, hominum quoq. crimina demes
Alterutri caſum ferre nec ipſe potes.
Quin tandem tuto poterunt peccare minores,
Si tam ſæpe tui fulminis ira cadat.
Deficiet Steropes, nec jam tuus Ales habebit
Quas tibi det flammas, quæ tibi tela ferat.
Vincendus Populus cur ſe tamen uſque peremptum
Sequendo victum gaudeat hoſtis habet.
Nec tamen uſque adeo eſt ſcelus indelebile noſtrum
Tutari Patriam non grave crimen erat.



Digitized by Google

Etſi crimen erat: dic tu Pater optime queſo
Quid decet an pietas; an magis ira Jovem?
Nec tibi magnificum populos domuiſſe Rebelles
Digna odiis nulla eſt terra ſubacta tuis.
Ad ſummum venere olim tua facta: nec unde
Jam tua plus tolli gloria poſſit habet.
Nec decet Authorem rerum confundere rebus,
Nec quæ nos patimur bella nephanda ſequi:
Te decet aut media Cœli in regione locatum
Omnivagos almæ flectere lucis Equos.
Aut primi ſtantem Arcem Poli, & loca celſa tenentem
Unius captum mentis habere tuæ.
Si quis ab hoc diverſus Amor, ſi qua altera mentem
Cura ſubit, Magnum dedecet illa Jovem.
Si tamen oblituſque tui, & memor uſque tuorum
Ipſa hominum curæ commoda ſolus habes.
Per te, perque tuum precor inviolabile Numen,
Sub cujus titulis Felſina tenſa jacet.
Tandem o flecte Animos, & quæ tibi noſtra fatiſcunt;
Parce etiam flammis naufraga ligna ſequi.
Utque idem tenebras rebus, lucemque miniſtras,
Idem ipſum terris das, adimiſque diem.
Sic tua dextra precor qua cuſpide vulnera fecit
Ocius illa ipſa cuſpide preſtet opem.

## De Amore, et Guido Urbini Duce

*Ex Cod. Vaticano* 5810. *pag.* 15.

Fama Ducem fuerat caſtæ de more Dianæ
Nil niſi de ſancta Virginitate loqui.

Indixi

Indixi bellum, & fortes certavimus ambo
Ille triumphato victor ab hoſte redit.
Victori data ſunt mea tela, arcuſque faceſque;
Arbitrioque mei Principis illa gero.
Cede igitur cuicumque meus dux contigit hoſtis
Nam duo juncta in te Numina bella gerent.
Hoſtis Alexander fuerat Ducis: aſpice per me
Pellicis inſano ſemper amore furit.

## Ad Camillum Paleottum

*Ex Codice Reginæ Svetiæ num 1371. pag. 52.*

Unica nata meis ſudoribus aura Camille
Hac mi Anima hoc proprio corde adamate magis.
Redde tuos mihi redde precor mea ſydera vultus,
Teque unum, ſine quo non licet eſſe mihi.
Rura colo, Dryadumque Choris fruor, hic ubi ſaltem
Ipſa mihi poterunt teſqua tenere fidem
Invidiam huc fugimus, & mille ſequentia tela
Hic mihi tranquillæ tempora pacis erunt.
Sed nemorum ſplendor, ſed dos ampliſſima ruris
Deficit ille tuæ frontis; & oris honos.
Murmura tectarum ſub opaca fronde volucrum
Te ſine dulce nihil ſunt mihi viſa queri.
Sordet & hinc calamis hic illas fallere viſco
Retiaque e vitreo ferre oneroſa lacu.
Nec de muſcoſis vada rupibus orta, nec umbræ,
Nec tua Phœbe Cohors, nec tua plectra juvant.

Hu

Huc ades, & Phœbo cognata movebimus ora
Ora phileteis invidioſa ſonis.
Huc ades, & cantus, & me pia plectra juvabunt;
Et patulæ frondes, & leve murmur aquæ.
Huc ades, & vernis iterum variata figuris
Terra ſuas dupli fœnore reddet opes.
Non tam avide cum jam ſulcos gravis æſtus hiulcat
Imbriferum hæc poſcunt rura peruſta Jovem:
Sed nimium ceſſas nimium mea vota moraris,
Nec tamen in tenero ſtat tibi corde ſilex.
Ite alio noſtræ ſpe fallimur, ite Camenæ
Fallimur ite alio mollia ſigna preces.
Ocneas inter Princeps Iſabella maritas
Quarta Charis: decima Muſa: ſecunda Venus.
Caſtalione ferox, dubiiſque exercite rebus
Sole potens Muſas dura per arma ſequi,
Prompte manu, prompte idem elegis Areoſte, ſed idem
Prompte bianorea bella ſonare tuba.
Equicole Iſmarii doctis modulatibus Orphæi
Promptior othriſia ducere Valle feras.
Docte Maro extremi terras hoſtia cognite Nili
Æmule Mantoæ, Mæoniæque tubæ.
Nota Thebaldei Charis, & gratiſſima Muſis
Carmina, Callimachus quæ velit eſſe ſua:
Porte meos inter quondam annumerate Sodales
Porte per inſidias nuper adempte mihi;
Porte meæ portus quondam & levis aura Carinæ
Nunc mihi ſub dubiis ſæva Achelois aquis.
Pieriæ Cœli ſplendorque, decorque juventæ
Æternum viridi fronde recinte comas.

Calandra

Calandra Aonidum gremio, & Phœbi alte ſub antris
Pene mihi Puero cognite pene puer.
Unice Achillei Sydroſtome dogmatis hæres
Socraticum gemino palmite cincte caput.
Si quid amicitiæ valet inviolabile Numen,
Perpetuoque tenax juncta in Amore fides,
Exorate meum precor exorate Camillum
Quo ſine pars Animæ major adempta mihi eſt:
Quo ſine non cereris curam hæc colere arva videmur
Non quæ Sarmodiæ culta rigantur aquis.
Non numeroſa mei cerealia jugera pauli
Non ubi perpetuo vere adoleſcit humus.
Sed gelidas Alpes Scythiæ, & tua ſaxa Prometheu,
Indaque ab Icario rura peruſta Cane.
Si procul hinc mihi latum unguem meus abſit horeſtes
Cum miſer affectæ turbine mentis agor.
Si quo ego tam doctis caſu neger auribus uti
Cum mea phœbeus perculit oſſa calor.
Ah valeat ditemque fluens fortuna per hermum
Lectaque erithreo glarea fulva mari.
Ah magni cura una hominum valeatis honores,
Ah valeantque ſales, ah valeantque joci.
Eſt aliquid mea vel propriis diſcrimina rebus
Affectuſque ſuis præpoſuiſſe meos.
Et rapuiſſe meam medio de gurgite puppim,
Et voluiſſe etiam naufraga ligna ſequi.
Me me igitur capere ulla queat Paleotte voluptas
Has ne ego ruris opes delitioſus amem.
Fallaces ne avidis protendam piſcibus hamos
Proſternent nemei terga ferina Canes?

Jem

Jam mea ſi non ſint tibi gaudia nota Camille
Sylveſtres procul hinc cedite delitiæ.
Jam jam alio celeres procul ocius ite Moloſſi,
Jam jam alio pennæ verſicoloris Aves.
Securi properate caro de gurgite Piſces
Securæ in veſtris collibus ite feræ.
Securas Zephiris volucres date mollibus alas
Edite tuta cavis ova ſub arboribus.
Dum loquor hæc patula conſedit in ilice Cornix;
Succeſſus mea ſunt vota habitura bonos.
Jam jam aderit meus hic vates, jam ruſtica pubes,
Dura tuos noſcent corda Camille ſales.
Jam jam rura mihi ſunt hæc chariſſima: jam jam
Urbanæ ruri cedite delitiæ.
Jam timidi latitate cavo ſub gurgite Piſces
Mille dolos vobis Rhetia mille paro.
Jam non ſecuræ procul hinc procul eſte Volucres;
Jam pavidæ in veſtris Collibus ite feræ.
Huc cito adeſte mei celeres cito adeſte Moloſſi;
Lata citi hæc rapido teſqua vorate pede.
Spargere oronthea cava pectora ſpargere myrrha
Poſthume, Apollinea cingere fronde comas.
Conde Meletheos ſuperantia carmina cantus
Grande aliquod cineri pange ſuperſtes opus:
Dulcibus aeriæ date cantibus ora volucres
Defleat Iſmarium Cecropis Ales Itym.
Deſerat arva Padi, blandaque Caiſtrius Ales
Voce beet parvæ littora Samodiæ.
Pavo coloratas Junonius explicet alas,
Sydereumque ſuo provocet orbe jubar.
Blandi-

Blandiloquis cognata labris tibi mella Camille,
  Nectareaſque Dapes attica ſervet Apis.
Spirate afflatu verno Zephiritides auræ,
  Mollia ducentes ſomnia flate Noti.
Iſta quibus Nymphæ contexere ſerta ſoletis
  Cogite peſtanis prata rubere roſis.
Incipe rurſum animam prebere virentibus arvis,
  Intempeſtivas tolle hiacynthe comas.
Nativiſque opibus, proprioque ſuperbiat oſtro
  Luxurians rivi rore fluentis ager.
Eſte viæ faciles ſubeuntibus eſſeda mannis,
  Factaque planiciem pervia vallis habe.
At tu qua veniet tua comprime Rhene fluenta,
  Et tua vix tacto per loca Ponte flue.

FRAN-

## FRANCISCUS BELLINIUS

INgenio, & doctiſſimorum hominum familiaritate duo uno eodemq. tempore floruerunt Poetæ elegantiſſimi, quibus Franciſci Bellini nomen. Sacillenſis fuit unus, Staphylanus alter. Cuinam de duobus carmina, qnæ profero, ſint adſcribenda, videant alii: nam ego rem in medio relinquam, ne Patriæ favore, nimium plus uni, quam alteri conceſſiſſe videar. Hoc unum ſilentio haud præteribo, ſcilicet, hæc carmina in quodam Codice cartaceo penes me, Bellinio Civi meo tribui. *Hymnus in Palladem ad Marcum Antonium Colotium*, quem Ubaldinius (a) Bellinio *Sacillenſi* abſque ulla ratione dat, ex mea ſententia potius Bellinio Staphylano adjudicandus erit, quam unicuique alteri; nam Bellinius Popularis meus Æſii pueros artibus erudiit, & Marco Antonio Colotio valde familiariter uſus eſt quoad vixit. Non ultra quæram quoquomodo res ſe habeat, & ſolummodo quæ ad Litteratiſſimos hoſce Viros ſpectant monumenta, meum erit hic recenſere. Primum ſit ergo de Bellinio Sacillenſe.

Inter

(a) Ubaldin in V. Angeli Colotii pag. 70. = *Franciſcus Bellinus Pauli Tertii Familiaris*, & *Bembo conjunctiſſimus*, *Ei dedicans hymnum Palladis &c.* =

Inter Venetos Carnos in Oppido vulgo SACILLE Franciſcus Bellinius Sacillenſis ortus, humanioribus litteris Patavii operam dedit, ibidemque xv. Kal. Novembris Anno 1520. ad munia publicæ Scholæ in Gymnaſio Eum electum fuiſſe ait Clariſſimus Facciolatius (a): hæc tamen ſi ipſe obiverit nec ne, incompertum eſt. Is creditur ille idem, qui Petro Bembo longo hoſpitio, & neceſſitudine conjunctus fuit, & unice ab eo amatus: Is ille, qui anno 1527. in domo Herculis Gonzagæ, auſpice Bembo, recipitur etiamſi adoleſcens, & unus omnium prope cupidiſſimus, optimarum artium in ſtudiis, quæ in domo Gonzaga florebant, profecit. Non multos menſes ibidem remanſit, nam cum ſibi nihil opis præter eſcam, & potum daretur, Romam petiit, animo ſeſe conferendi ad auctoritatem alicujus Principis, vel Cardinalis. Fortuna ſuffragante, virtuteque duce, res & maximas laudes fuit in Urbe conſequtus. In primis Prothonotarii de Rubeis, deinde Cardinalis Alexandri Farneſii in contubernio, & familiaritate conſtitit. Farneſius Bellinii dignitatis rationem ſemper habuit: ideo non ſolum curavit, ut e Familia Cardinalis Franciſci Turnonii foret, quo cum Bellinius anno 1534. in ulteriorem Galliam trajecit, verum Farneſius Pontifex renunciatus, a cubiculis ſuis Eum eſſe voluit, & plurimis ornavit beneficiis. Quo anno

(a) Facciolat. Faſt. Gymnaſii Patavini tom. 2. pag. 188.

anno, quove in loco Bellinius obierit, mihi incompertum eſt, nec de iſto Viro habeo quid ultra feram, preter quam quod ipſe plures doctiſſimos Homines ſibi Amicos conciliavit, & præſertim Bembum (a), Longolium [b], Molſam (c), qui ad Franciſcum noſtrum Pauli III Pontificis jam Familiarem plures litteras dederunt. Quædam Epiſtola ejuſdem Bellinii ad Molſam cuſa habetur inter carmina, & Opera Franciſci Molſæ ædita Bergomi 1754. in 8. Tom. 3. pag. 112. Si fides Bembo, *Sacillenſis Bellinius* Carmina Elegiaca cecinit in mortem Petri Mantuani ad Herculem Gonzagam (d): hæc tamen fruſtra ex typis poſcimus: unde vel periere, vel in pluteis Bibliothecarum delitеſcunt; imo Honorius Dominicus Caramella, quia vel nulli, vel pauci verſus Franciſci Sacillenſis remanent, quaſi jocans cum Eo, Muſam ipſius *Parvulam* appellat (e). Siquidem ſub nomine Franciſci Bellini unicum Epigramma habetur inter Delicias Poetarum Italorum par. 1. pag. 342., & in Collectaneis Tuſcanii tom. 2. pag. 209. Præter hæc nuſquam alibi carmina ipſius vidi, & hæc quoque ad *Bellinium Staphylanum* ſunt qui ſpectare cenſent.

FRAN-

[a] Bembi Epiſt. Lib. VI. (b) Longol. Epiſt. Lib. IV. num. 25.
[c] Molſa Oper. tom. 3 (d) Bembus Epiſt. Lib. VI.
(e) Honor. Dominicus Caramella Muſeum. Illuſtrium Poetarum pag. 89.

*Bellinus Vates mihi tu Belline videris,*
*Nam bellina ſatis parvula Muſa tua eſt.*

Franciscus Bellinius alter *Staphyli* non obſcuro loco ortus eſt Anno MCDXCVI. A Conte Bellinio ejus Patruo amœniores litteras in Patria primum accepit, deinde in Senenſi Gymnaſio una cum Roberto Honorio altero præſtantiſſimo Cive, Philoſophiæ, & utrique Juri operam dedit Georgio Benignio, Franciſco Brunio, & Ludovico Burgheſio Præceptoribus uſus [a]. Celeritate ingenii omnes litteras, quæ ab humanitate nomen habent, arripuit, & deinde ( quod erat Patris in optatis ) in ſuas remigravit ſedes, Pueros ad litteras inſtituturus. Fulgebat jam in Franciſco indoles virtutis: unde non minus Staphylani, quam propinquiores Populi Eum valde ſuſpiciebant. Primum Æſinates ad Scholam Gramatices multis propoſitis ſtipendiis Bellinium noſtrum adlegerunt, pauloque poſt, tam Auximates, quam Recanatenſes ampliſſimis pollicitationibus ad Rhetoris munus ſuſcipiendum Eum invitarunt; attamen ſibi placuit eſſe potius Æſii, quam alibi. Hac in Urbe fere per decennium integrum commoratus eſt, & ibidem ad amicitiam proceſſit Angeli Colotii Viri litteratiſſimi, cujus in intimam familiaritatem brevi tempore pervenit. Auſpice eodem Colotio, in Regione Parionis [b] publice Gramatices præcepta in Urbe dedit, quo munere tandem a ſe abdicato, Auximum

L

(a) Ex Cronaca quadam MSS. Joannis Honorii a Staphylo Roberti ſupradicti, Patris, condita anno 1516. in 4. penes DD. de Honoriis in Urbe Cinguli commorantes.

(b) Ex Rotul. Gymn. Urbis ad An. 1521.

mum conceſſit, Pueros Rhetoricam docendi gratia in publico Gymnaſio. Eodem Munere Montechli (a), Foroſempronii, Arimini, Vicentiæ, Veronæ, & tandem Piſis functus eſt, & ubique locorum in Bellinium noſtrum fuit ſumma, & conſtantiſſima doctorum Virorum voluntas. Senex tandem is ſeſe Patriæ reſtituit, & ibidem fere octuagenarius articulari morbo oppreſſus, exceſſit e vita die 14. Novembris Anno MDLXXIV. Conditur ad Divi Ægidii in Sepulcro Majorum ſuorum (b). Præter Honorium ſupradictum meminere Franciſci Bellini Staphylani Hugo Cinus Campanus Auximas [c], Joannes Baptiſta Severinius (d), Joannes Baptiſta Zaccagninius [e], aliique. Cave ne Eundem

---

(a) Ex Lib. Epiſt. Bellini

(b) Ex Lib. Mortuorum in Parochiali Eccleſia S. Ægidii Staphyli pag. 1.

[c] Hugo Cinus Campanus in Sermonum Libro edito Lutetiæ Pariſiorum 1574. Libro 2.

*Tu* BELLINE *Elego mulcebas æthera cantu*
*Quo Candore animi docto quove ore nitebas.*

(d) Severinius in Panegirico Hiſtorico Staphyli edito Venetiis apud Gryphios 1624. in 4. cujus Autographus Liber extat in Tabulario Staphyli, & in pag. 90. ſic = *La Famiglia* BELLINA *produſſe varj, tra' quali noti a me ſono* FRANCESCO, MARIO, *e* SIMONE *cariſſimi alle Muſe.* FRANCESCO *inſegnò Rettorica nelle prime Città d' Italia con ſommo ſuo plauſo, e nome di Poeta latino, e volgare* =

(e) Zaccagnini Diſſert. Hiſtor. di Staffolo, e ſuoi pregi MS. in 4. penes Hæredes = *Franceſco Bellini, che inſegnò Rettorica in Oſimo, Rimino, Vicenza, Verona, Piſa, ed altre Città, e Terre della noſtra Marca, era molto ſtimato per i ſuoi verſi volgari, e latini* =

Eundem hunc eſſe putes ac Fratrem Franciſcum Bellinium Recanatenſem Minor. Obſerv. de quo loquuntur Calcagnius [a], & Gaſparinius (b); nam Bellinius Recanatenſis vixit longe poſt quam ſupradictos alios. Franciſcus Bellinius Staphylanus non ſolum latino, ſed italo Sermone elegantiſſima carmina pangebat, ſi fides Severinio coevo Scriptori (c); quapropter de Bellinio Staphylano reor Ego Guidiccionium fuiſſe locutum in illa Epiſtola, quæ extat in Collectanea, cui titulus = *Lettere di XIII. Huomini Illuſtri* = In hac Epiſtola Guidiccionius Somnambula Itala Bellini noſtri ſatis ornate commendat (d). Bellinia Gens Staphylana Muſis, & Appollini cara adeo ſemper fuit, ut nil ultra.

Præter Franciscum, ex hac prodiit Joannes Baptista, qui Montechli, Auximi, aliiſque in Gymnaſiis publice Humaniores Artes docuit; ita & Marcus, ambo a laudatis Viris laudati. Francisci Bellini Staphylani doctiſſimæ lucubrationes hodiedum extant tum penes me, tum penes Bellinios Fanenses Staphylo oriundos. Carmina latina, quæ in lucem emitto, teneo emendata ad fidem Codicum Bibliothæcæ Vaticanæ. Volumen aliud

 Epi-

[a] Calcagn. Stor. di Recanati pag. 530.

(b) Gaſparin. in Deſcriptione Marchiæ §. *Recanati*.

[c] Severinius in loc. cit.

(d) Guidiccion. Lettere di XIII. Huomini illuſtri 1576. in 8. pag. 52 = *I voſtri Sonetti ſono appreſſo di me in iſtimazione, come le coſe di cara, & amica Perſona ſogliono eſſere* =

nitatem, Comitatem; & morum Candorem. Joannes Andreas & ipſe litteris ornatur, fidibus canit, & Muſices doctiſſimus, lyræ ſonitu omnes antecellit. Vivat ergo Vir chariſſimus iſte, quem pre cæteris Civibus acrius diligam, & quidem mirabili, & amore ſingulari, quoad vixero.



Digitized by Google

# FRANCISCI BELLINI CARMINA

*Ex Codice penes me, & ex altero Vaticano 3388. pag. 4.*

Umbroſo ſub Colle Lycon nova carmina condit,
Stant circum oblitæ carpere gramen Oves;
At Satyri ad vocem exciti; Faunique bicornes
Accurrunt celeri Numina amica pede.
In numerum ducunt Dryades per prata choreas,
Siſtit arenoſi gurgitis Amnis aquas.
Ipſe Deus, Pan ipſe ſuam donavit avenam
Vatis, & agreſti cinxit honore comas.
Jam tu pro Corydone Lycon Paſtoribus, & jam
Te referent Valles, te nemus omne Lycon.

## Ad Bernardum Accoltium

*Idem Ibidem.*

Vidimus Accolti viſco lita Ceſpitis inſtar
Vimina ut in Turdos ars nova tendat Aves:
Utque rapax predam ex ſpecula viſam eminus alta,
Quæ jam jam eſt volucris preda futura petat,
Atque alas tentet vinclo explicuiſſe tenaci
Sero deceptas capta repente dolis.
Ni minus bella eſt vitæ inſidiantis imago,
Quæ falſis angit pectora noſtra bonis.

Sic

Sic rapimur deſſiderio, captique tenemur,
Et nos intentas nil veriti inſidias;
At tua te hoc virtus numero excipit, o prope magnos
Digne coli, caſte quos colis ipſe, Deos.

*Ex Codice Vaticano* 3387.

Cum legerem hæc Amarylli tibi fragrantia ſerta,
Vix potui inſtantes pellere tutus Apes;
At mihi pro ſertis tu nunc fragrantia junge
Oſcula, & hybleis tincta labella favis;
Invideant ut Apes capiti fragrantia Serta,
Invideant labris dulcia mella tuis.

In Deliciis Poetar. Ital. Collectore Ranutio Ghero par. 1. pag. 342. habet hoc Epigramma *florentia* loco fragrantia *redde* pro junge.

*Ex eod. Cod. Vatic.* 3388. *& ex altero penes me.*

Hinc ſuaves paſſim tellus tibi munera flores
Explicat, & vario picta colore viret.
Lygdame flos Puerorum, & flore nitentior omni
Huc propera, inque meos curre proterve ſinus.
Hic veris pariter gemini carpemus honores,
Datque, rapitque brevis tam bona dona dies.

IN ALUMNUM. *Ibidem.*

Te diviſam alii toto Orbe Britannia, & acres
Mirentur vites, divitiaſque tuas.
Ipſe animum, moreſque tui mirabor ALUMNI,
Vinci abſte hoc uno non negat Italia.

## HYMNUS IN PALLADEM. F. BELLINI AD M. ANTONIUM (a) COLOTIUM

*Ex Codice penes me, & ex altero Vaticano 2833. pag. 126.*

Magnanimam referam Prolem Jovis, Alta tonantem
Culmina Pierides vos Divam dicite Divæ.
Dicite, virgineo laudetur carmine Virgo,
Quod perſepe canas caſto pueriliter ore
Caſtæ ad Templa Deæ COLOTI educte Sororum
In gremio Aonidum, & ſtudiis imbute Minervæ.
Aſpice

(a) COLOTIA Gens cum primis Æſii nobilis, varias in Familias diſtinguitur. Marcus Antonius, de quo hic ſermo, ex Angelo Colotio, poſtea Nuceriæ Favonienſis Pontifice, & Ambra, quam ipſe ſecundum in Matrimonium duxerat, Conjugibus caſtiſſimis, ortus eſt. Ubaldinius, qui in concinnandis Commentariis de Vita Angeli Colotii plurimum candori latinæ linguæ, nihil inde hiſtoriæ veritati ſtuduit, abiens ad vulgi opinionem, perperam inquit, Marcum Antonium natum ex Hyeronima Bufalinia, quæ primo nuptum Angelo Colotio fuit collocata. Duo faciunt, ut ego ab Ubaldinii ſententia recedam, & ſunt. Primo, quia idem Angelus Colotius in quadam Epiſtola ad Jo: Benedictum de Sanctis Æſinum Civem, & ejus affinem ait ſic = *La mia prima Moglie era ammalaticcia non mi faceva Figliuoli* = Secundo: Si ex Hyeronima Bufalinia (quæ obiit in Urbe anno 1518.) natus fuiſſet Marcus Antonius Colotius, de quo agitur, Ipſe hæreditatem ejuſdem Bufaliniæ, uti Filius, cernere debuiſſet: Sicuti vero conſtat ex publicis Auctoritatibus, Hyeronimam Teſtamento ſcripſiſſe hæredem pro triente ejus Virum, & reliquum aſſis Nicolao, aliiſque Fratribus Bufaliniis reliquiſſe; & ſicuti etiam ab eodem Ubaldinio habetur in Vita Angeli Colotii pag. 16. & 17. quod. = *Uxoris tamen morte Angelus non evaſit moleſtias ex ejus*

Aſpice ſurgentem viridi de ceſpite odora
Meſſe Arabum, & variis cumulatam floribus aram.
Aſpice, ut incedant ducentes ordine pompam
Flava virenti omnes evicti tempora oliva.
Altera fulgenti manus huic ex ære lebetem,
Inque lebete hauſtam puris de fontibus undam
Altera fert, ſalſamque molam, & pia farra caniſtro.
Ille tenet claram gemmis, ſigniſque rigantem,
Et jam jam implendam pateram ſpumante cruore
Aeratam validus dextra gerit ille ſecurim.
Ducitur atque adeo ſponte ipſa accedit ad aras
Lucida cui lata lunantur cornua fronte,

Cornua

---

*ejus morbo contractas, ſed potius graviores pertulit ob diſſenſiones excitatas ab Uxoris Fratribus Angelo, ac Nicolao Buſalinis, quibus acceſſit Vitellus Vitellius donec lite, quæ de dotis reſtitutione intercedebat, arbitrio Jacobi Frajapani commiſſa, compoſitæ diſſentiones fuerunt* = venit per conſequens, ut conjicere debeamus, Marcum Antonium natum non fuiſſe ex dicta Hyeronima Buſalinia, nam alias Eum ipſa hæredem omnibus ſuis bonis inſtituiſſet. Forſan conjectura ego aberro; res tamen veriſimilior videtur mihi, quod Ambra *ſecundus ignis* ab eodem Colotio appellata in quodam hendecaſyllabo Codicis Vaticani 3388. pag. 118.

*Ambra Colotii ſecundus ignis*
*Nam primum rapidæ abſtulere Parcæ*
*Cujus cor ſimul eſtis & medulla &c.*

Ei Marcum Antonium peperit, ni ex Scorto natum illum dicere velimus. Refragatur Animus meus ne Angelo Colotio Præſuli ſanctiſſimo improbam Perſonam, & ſic ne Marco Antonio talem injuriam imponam. Pluribus de hoc egi in Vita Angeli Colotii, quæ ſub prælo eſt. Modo ſatis erit dixiſſe, Marcum Antonium fuiſſe bonis Artibus imbutum in Angeli Colotii Patris Accademia, jam in Urbe celeberrima. Nec Angelus Colotius Pater, nec Marcus Antonius

Cornua cincta nitente auro connubia nondum;
Nondum paſſa jugum intacta cervice juvenca;
Jamque ſuis præſens ſacris deſcendit Olympi
Culminibus Dea magna, vide ut cuncta ſerenet;
Ut circum ætherea perſtringat lumina luce.
Ergo age rite Deam non fruſtra multa precatus,
Et manibus puris operatus adorea liba,
Qua devotum offert ultro caput hoſtia ſacris,
Et ſetas capiti detonſas projice flammis;
At te bellorum præces, cui claſſica cordi,
Et pugnæ, & campo vexilla illata parenti,
Exuviæque, & victo erecta ex hoſte trophea,
Quo

nius Filius arceſſita commendatione indigent, quoniam ambo aſſeruerunt ſeſe a mortalitate, nec ego dicendo merita illorum unquam aſſequi potero. Marcus Antonius in Urbe Scriptoris Apoſtolici munere fungens, Viridiſſimo flore Juvenis anno 1548. Menſe Martii, non ſine Angeli Parentis ſui, & Amicorum omnium lacrymis, de vita migravit. Non ſolum hoc Bellinii Carmen, verum etiam quædam Epiſtola, quæ extat in Codice Vaticano 3436. Sub nomine *Nimphæ Virginei Fontis* ad M. Antonium Colotium data, teſtimonium omnibus præſtat de M. Antonii Colotii virtute, & doctrina. Fridericus Ubaldinius in citata Vita Colotii pag. 70. de Marco Antonio loquens, inquit = *Is Uxorem duxit Margaritam Annam Filiam Hieronymi Ripanti Nepotis Angeli Ripanti Epiſcopi Æſini* = & in pag. 67. *Juſta illi* ( hoc eſt Angelo Epiſcopo Nucerino ) *ſolemnia, & nobilia a M. Antonio Filio perſoluta ſunt* = Parcat Ubaldinius, ſi ego fidem ei non arbitror. Marcus Antonius Colotius ante quam Angelus ejus Pater, vitam finiit, ut luculentiſſimus Teſtis eſt Trajanus Calcia in Epiſtola, quæ extat in Codice 2023. Reginæ Svecorum nunc in Vatic. Bibl. pag. 75. In Epiſtola ſcripta xvi. Kal. Maii 1548. idem Calcia dolorem dolet Angeli Epiſcopi Nucerini ob obitum Marci Antonii Filii. Præmortuus Filius Patri, juſta ſolemnia Ei minime

Quo memorem, quo te ore canam, non ſi mihi totum
Inſinuet Phœbus ſeſe, atque in pectore condat;
Non ſi Caſtaliæ dictent mihi carmina Muſæ
Diva tuas poſſem laudes æquare canendo.
Tu valida metuenda Parentis fulmina dextra
Cum lubet intorquere potens mortalia corda
Concutis æthera flamma, ingentique fragore.
Tu ſpeculæ nemorum aeriæ, & qui nubila Cœli
Audaci ſuperant obſcura cacumine montes,

Dele-

minime poterat perſolvere. Multo minus fidem præſtabo Ubaldinio dicenti, Marcum Antonium Colotium in Uxorem duxiſſe MARGARITANAM Filiam Hieronymi Ripantii. RIPANTIA Gens inter nobillimas Æſii Familias primum tenet una cum Guisleriis, Colotiis, & Riccis locum. Arcto vinculo cognationis longe ante Marcum Antonium erant inter ſeſe devinctæ tum RIPANTIA, tum COLOTIA Familiæ, FRANCISCA Soror Angeli Colotii Epiſcopi Nucerini collocata fuit in Matrimonium VII. Kal. Januarii 1495. cum Tiberio Ripantio, prout conſtat ex Inſtrumento confecto manu Angeli Antonii de Exio Notarii publici ſub die, & anno ſuperius dicto. Ex Conjugibus FRANCISCA COLOTIA, & TIBERIO RIPANTIO orti ſunt Hieronymus, & MARGARITA ANNA, quæ uti Patruelis, & in ſecundo gradu conſanguinitatis cum M. ANTONIO COLOTIO Angeli Filio, juncta, Uxor Ei eſſe nequibat. Ergo id Ubaldinii aſſertioni multum reſiſtit: Præter quam quod MARGARITA ANNA RIPANTIA Uxor fuit Angeli Colucci de Sancto Severino in Piceno, ut habetur ex Inſtrumento, confecto per Pompilium Servantium Notarium Actuarium cauſarum Civilium in Oppido S. Severini an. 1551 unde ampliter mentitur Ubaldinius. M. Anton. Colotius anno 1539. Canonici dignitate in Cathedrali Æſii fuit inſignitus loco Marcelli Cervini, poſtea Pontificis Maximi. Cito tamen ſe a conlata dignitate abdicavit, ut hæc in Angelum Colotium Ripantium Patruelem ſuum conferretur, & Juvenis artium centum M. Antonius in Urbe deceſſit Menſe Martii 1548., quod quiſque tenebit, ni reſignare omnem tabularum fidem velimus.

Delectantque,canuntq. ſonum ſuper aſtra ferentes;
Quæque ſuas volvunt rauco cum murmure lymphas
In Mare cœruleum vaga flumina, quæque vadoſum
In Mare prona fremunt æſtus plangore furentis
Littora, & incluſo tuti ſalis æquore portus.
Concilium intranti Superum tibi ſedibus omnes
Cœlicolæ aſſurgunt, facieque, armiſque decoram
Suſpiciunt taciti, non ulli lumina Divæ
Defixo datur obtutu non ora tueri
Orá animos acri egregios prodentia vultu;
At cuncti inſolito attoniti venerantur honore.

*F I N I S.*

NOMINA

# NOMINA POETARUM

*Quorum Carmina ex Cod. MSS. hoc in Libro dedimus.*


| | |
|---|---|
| Achilles Bocchius Bononienſis | pag. 133. |
| Angelus Callimachus Siculus | pag. 26. |
| Angelus Colotius Æſinas | pag. 141. |
| Antonius Mancinellus Villiterinus | pag. 31. |
| Baptista Cantalicius | pag. 41. |
| Bartholomæus Platina Cremonenſis | pag. 27. |
| Benedictus a Cingulo | pag. 124. |
| Blasius Astreus Papienſis | pag. 22. |
| Cynthius Benincasa Anconitanus | pag. 33. |
| Fabritius Lazzarellius Septempedanus | pag. 43. |
| Fabritius Varaneus Camers | pag. 44. |
| Franciscus Bellinius Staphylanus | pag. 158 |
| Franciscus Guarnerius Auximas | pag. 106. |
| Franciscus Sperulus Camers | pag. 38. & 91. |
| Guido Posthumus Piſaurenſis | pag. 145. |
| Jacobus Piſaurenſis | pag. 81. |
| Jacobus Sentinius Recanatenſis | pag. 100. |
| Joannes Albinus Lucanus | pag. 40. |


Joan-

Joannes Georgius Caſſianus pag. 36.
Laurentius Lippus Collenſis pag. 20.
Ludovicus Lazzarellius Septempedanus p. 5. & 120.
Maccarius Mutius Camers pag. 25. & 122.
M. Antonius Casanova Novocomenſis p. 142.
Pamphylus Septempedanus pag. 57.
Paulus Marsus Ceſenſis pag. 29.
Pompilius Vicoli Septempedanus pag. 30.
Robertus Ursi Ariminenſis pag. 96.
Scipio Forteguerra Piſtorienſis pag. 125.
Sulpitius Verulanus pag. 28.
Thomas Seneca Camers pag. 95.

Digitized by Google

*Ortographiæ, & interpunctionum mendas; quas in Librum offendes Tu per te ipſum: Verba vero, quæ novo indigent prælo Benev. Lector ſic*

| ERRATA | CORRIGITO. |
|---|---|
| pag, lin. | |
| 32. 25. repræhendit | reprehendit |
| 42. 28. Codexex | Codex |
| 42. 31. hdbetur | habetur |
| 65. 26. quam | quem |
| 73. 14. tribuent | tribuant |
| 75. 13. fuiſſe | fuerit |
| 79. 4. adjungere | abjungere |
| 96. 13. cogitam | cognitam |
| 96, 19. celebrioresres | celebriores |
| 101. 11. Culcanei | Calcanei |
| 106. 13. PROSPERUS | PROSPER |
| 106. 15. quia | a |
| 125. 5. rubicundæ | rubicunde |

*Opuſculum, cui titulus = Ludovici Lazzarelli Septempedani, Poetæ Laureati Bombyx, acceſſerunt &c. = Clariſſimi Lancellotii lucubrationibus illuſtratum, Pernobili Viro Scipione Guglielmio Vicario Generali jubente, attente, libenterque perlegi; cumque nihil in eo repererim, quod Fidei, Principibus, boniſque moribus adverſetur, ut in lucem prodeat, ſatis ſuperque dignum cenſeo. In quorum fidem dabam Idibus Feb. 1765.*

*Franciſcus Lorenzetti Primus humaniorum Litterarum Pub. Profeſſor.*

*IMPRIMATUR.*

S. Prior Guglielmi Vicar. Generalis.

---

*IMPRIMATUR.*

Fr. Thomas Gigli Ord. Præd. Vicarius S. Officii Æſii.

Digitized by Google